



**Defensio Jacobi Heerbrandi doctoris et professoris theologiæ  
In Academia Tubingensi, duarum Disputationum, quas de  
erroribus Pontificæ Ecclesiæ, & Iustificatione hominis  
peccatoris, ædedit. Adversus Georgii Gotthardi,, doctoris  
theologi, Canonici Pataviensis, calumnias, impietates, &  
convicia, quae contra Lutherum, eius mores, vitam &  
doctrinam, Similiter & de operum iustificatione, Fidei  
dubitatione, & Concupiscentia prava, quòd non sit peccatum,  
Libello suo contra Iacobum Heerbrandum, sparsit.**

<https://hdl.handle.net/1874/427110>

88

3

Defensio

IACOBI HEER-  
BRANDI DOCTORIS ET

PROFESSORIS THEOLOGIAE IN ACADE-

mia Tubingensi, duarum Disputationum, quas de erroribus Pon-  
tificia Ecclesia, & Iustificatione hominis  
peccatoris, adidit.

ADVERSUS GEORGII  
GOTTHARDI, DOCTORIS THEO-

logi, Canonici Pataviensis, calumnias, impietates, & conuicia, quae contra Lu-  
therum, eius mores, vitam & doctrinam: Similiter & de operum iu-  
stificatione, Fidei dubitatione, & Concupiscentia praua,  
quod non sit peccatum, Libello suo contra Iaco-  
bum Heerbrandum, sparsit.



TUBINGÆ,

Apud Georgium Gruppenbachium,

Anno. M. D. LXXXVII.

22

Defensio

JACOBI HEER

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET

PROFESSORIS PRAECEPTORIS

IN ACADEMIA ALTA

ALTA

GEORGII

PHILOSOPHIAE DOCTORIS ET

PROFESSORIS PRAECEPTORIS

IN ACADEMIA ALTA




ALTA GEORGII CAESARIS

ALTA M. DE BAVARIA

# SERENISSIMO,

ATQVE ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO, VVIL-  
*helmo, Comiti Palatino Rheni, ac vtriusq; Bauaria Du-  
ci, Principi ac Domino suo clemen-  
tissimo.*

 BTULERUNT OLIM, ILLVSTRISSI-  
me Princeps, Domine clementissime, in  
primitiua Ecclesia Christiani, sauis-  
simis tempestatum procellis, & crudelissimis per-  
secutionibus iactati, Quadratus, Apostolorum discipu-  
lus, Aristides Atheniensis, Iustinus Martyr & Philoso-  
phus, supplices libellos, & Apologeticos, Imperatoribus  
Romanis, Adriano & Antonino, qualem & Tertullianus  
scripsit contra Gentes: quibus & Religionem Christia-  
nam defenderunt, & se de obiectis ab Ethnicis crimi-  
nibus, purgauerunt: quos clementer illi acceperunt, &  
causa cognita, mitius cum Christianis agendum, edictis  
publicis propositis mandauerunt. Cum enim vera isti  
intentare crimina eis non possent, odio Religionis, fal-  
sa, & quidem atrocissima excogitauerunt, & commen-  
ti sunt scelera, de infanticidijs, quos in sacris iugularent  
Christiani, eorumq; sanguine panem imbuerent, quo  
vescerentur (mysterium Coenae Dominicae calumnian-  
tes) & deinde candelabris & lucernis per canes, quos in  
hoc alerent, euerfis, cum matribus & sororibus incæ-  
stum committerent. Obijciebant praeterea, caput as-  
inum à Christianis coli & adorari, vnde Asinarij appel-  
laban-

P R A E F A T I O.

labantur. Adhæc, vt inutiles Reipub. & qui nihil in  
vſus Templorum conferrent, à Sacerdotibus βραυολόχοις  
traducebantur.

Idem ferè nobis accidit hodie, Princeps Illuſtriſſime.  
Vt enim nihil iam dicam, aut conquerar, de perfecutionibus noſtrorum, varijs in locis: accuſant nos paſſim Sacrificuli, non ſolùm ſchiſmatis & defectionis ab Eccleſia catholica, ſed etiam hæreſeos, ſeditionis, & aliorum atrociffimorum criminum & flagitiõrum. Vtq; nos noſtramq; doctrinam tam apud Magnates, quàm apud vulgus ignobile, exoſos reddant, vociferantur, nos prohibere bona opera, cùm homines per ea iuſtificari, vitamq; æternam mereri, ex verbo Dei rectè negemus: Interim verò propter alias cauſas plurimas & grauiſſimas, facienda, doceamus, ad eaq; exhortemur ſedulo. Daclamitant, nos Deum facere peccati authorem, quia prauam concupiſcentiam, quam ipſi à Deo creatam eſſe docent, peccatum eſſe aſſerimus. Ideoq; Magiſtratus in nos armant, vt tanquam peſtes & labes nos exterminent.

Qualem præteritis ferijs Natalitijs, vidi Libellum in  
Celfitudinis veſtræ ditione æditum, eiq; dedicatum  
à Georgio quodam Gotthardo Canonico Patauienſi.  
» In quo præcipuè Lutherum exagitandum ſuſcepit, re-  
» mulentum vocans Monachum, qui ſibi non conſtiterit  
» in doctrina: qui omnes honeſtas actiones prohibue-  
» rit, opera ſancta contempſerit: omne virtutis ſtudium  
» è medio ſuſtulerit: ad flagitia fenestram aperuerit, ho-  
» minesq; non ad benè beateq; viuendum, ſed ad liberè  
» peccandum erexerit & accenderit: liberè & carni & vo-  
lupta-

P R A E F A T I O.

luptatibus indulserit, libidinesq; exercere, Christianis  
 licere asseruerit, ac in summa viciorum licentia & pec-  
 candi libertate constituerit, furiam, facem eum appel-  
 lans: & horum similia sexcenta cumulat, quibus eum  
 onerat iniuste, ne quid dicam grauius. Deinde longius  
 progressus, altiùs insurgit in nos, non contentus visita-  
 tis istis conuitijs, sed multò atrociùs in nostros est inue-  
 ctus: subinde sceleratissimos, flagitiosissimosq; Eccle-  
 siae hostes, Ganeones, pestes, labes, tenebras, omnium  
 mortalium pessimos, dignos, de quibus supplicium su-  
 matur, non ferendos Lutheranos præcones (sicut olim  
 Iudæi desperati contra Paulum vociferabantur: Non est  
 phas cum viuere) sed tanquam pestilentes homines, di-  
 tione & prouincijs eijciendos, atque ad Garamantes  
 vsque ablegandos.

Actor. 22.

Doctrinam nostram de gratuita Fidei iustificatione  
 absurdam, pudendam, impium cõmentum, infaustum  
 Lutheri Pseudoeuangelium, plenum impietatis: Mon-  
 stra hæc esse & portenta Religionis, omni seculorum  
 memoria inaudita, Epicuri doctrinam ab inferis reuo-  
 catam. Quibus addit: Impudenter mentiuntur Con-  
 fessionistæ, sibi fieri iniuriam, ac falso à nobis accusari,  
 quòd bona opera prohibuerint. Adulterari & scortari  
 non censet Lutherus peccata.

Hæc, horumque consimilia plurima (quæ spargunt  
 isti sine fine) qui audiunt, vel legunt, nostra verò defen-  
 sio ad eorum aures non peruenit, nec eam cognoscere  
 permittuntur ab istis sanctulis, qui specie Religionis se-  
 se venditant, passimq; insinuant, & soli docere absque  
 contradicente volunt: quid aliud faciant, quàm id, ad

P R A E F A T I O.

quod faciendum ab istis indefesso studio, quibus fidem habent, suamq; salutem (pessimè sibi consulentes) committunt, vrgentur improbè, qui Magistratus contra nos inflammant, & armant, stabella tumultuum, bellorum, & seditionum, vt nos tanquam nocentissimos Ecclesiae hostes, flagitiosissimos Hæreticos, pestes Reip. quocunq; possunt modo, etiam contra fidem, & pacem Religionis nostrae publicè, iusiurandum iurantes sanctissimum, datam, & confirmatam, opprimant, eque medio tollant. Quod Canonicum istum, cum suis gregalibus sedulo, magnoq; conatu agere, in hoc suo Libello, videamus.

Iniquè igitur comparatum est, nobiscumque agitur, quòd isti perpetuo apud suos contra nos declamitant, suaq; scripta spargunt. Nos verò non audimur, nec etiam scriptis nostris ad illos patet aditus, sed vix omnes nobis præcluduntur.

Nihil autem eorum, de quibus passim per ora hominum & à Canonico isto, eiusq; farinae hominib. traducimur, nos docere, aut facere, res ipsa docet, & loquitur.

Et semper hætenus rationem nostrae fidei, & doctrinae reddere parati fuimus & cupidi. Sicut etiam semper publicè nostra sonuit confessio, de quo in sequentibus copiosius. In hac eorum nihil extat dogmatum, quae nobis homo iste affingit, quorumq; nos accusat. Hinc si quid habuisset contra nos, producendum erat. Sed tantum hinc inde ex nostrorum, & etiam aliorum, qui ad nos non pertinent, Libris, sententiolas, & dicta quaedam excerpit, quae deprauat, calumniatur, carpit, & theonino rodit dente ac lacerat: Aut consequentias colligit

P R A E F A T I O.

colligit mirabiles & falsas, quas deinceps tanquam nostra dogmata proponit, nobisque adscribit. Et sic contra sua propria figmenta & phantasmata, postea insurgit, ea oppugnat, ac more furiosorum exclamat, inuehitur, vociferatur, & debacchatur, ut imperitis fucum faciat, suos in erroribus visitatis retineat, nebulas offundens, & quasi per caliginem praestringat aciem, non oculorum solum, sed & animi, ut caecus caecos secum in foream abducat, & nihil minus cogitantes, improvidos, praecipitet.

Ac miror, si Illustrissima Vestra Celsitudo, Bauariae Dux inclyte, istas Canonici illius tam atroces iniurias, quibus nos diffamat legens, pro sua sapientia & animi moderatione, clementer ea est acceptura. Et non potius, ut par est, & iustitia postulat, maledici istius calumniatoris, infamiae notas nobis aspergentis, linguam virulentam, petulantem, ac mendacem, nos nostramque famam denigrare conantis, seuerissime cohercitura. Non enim vnum tantum, aut alterum, sed in genere, Lutheranos, verbi omnes diuini praecones proscindit, criminatur, lacerat, quorum plerique omnes, castè & honestè viuunt in coniugio.

Nobis certè difficilè non esset retorsione uti, quae omni iure concessa est: Sed parcimus sexui, parcimus & nationi. Adeoque virulentum est scriptum, & Satanicum, ut quicquid Diabolus hactenus annos aliquot, per multos alios & varios, stabella sua & organa, in nos immeritos euomuit, id omne in istud suum organum ingesserit, ut vno quasi hiatu & conatu per hunc hominem noxium, inflatum persuasione eruditionis cuiusdam trans-

marinae



P R A E F A T I O.

marinae, quo nomen sibi comparet, ad me affectantem  
viam, à quo prouocatus non est, cum ne nomen qui-  
dem eius audierim vnquam, effutuerit. Nec, quod  
mirum est, cum Oratorem se esse ostentare voluerit,  
sexui foemineo, & toti nationi parcat: Sueciam scilicet,  
scortis abundare scribere sibi permiserit. Quod nec à  
Cicerone, nec à Quintiliano didicit. Et id in alios facili-  
us & veriùs à nobis detorqueri, nullo negotio verè pos-  
set, si stulto secundum suam stultitiam esset responden-  
dum. Quibus singulis ferè suis, quibus scetet Libellus  
ille mendacijs, vel exclamationes subinde addit Rhero-  
ricas, vel ad vestram Celsitudinem, tum etiam ad Ger-  
manos, addit Apostrophas & exhortationes, vt nos è  
suis ditionibus eijciant, classicum canens. Insuper etiam  
*ἐπιμύχια*, ante victoriam tamen, triumphos etiam, sibi de-  
cernit miser, quos vel Melancholicus, vel furiosus, de  
me quasi captiuo, & strophis suis illaqueato, agat, sed si-  
ne decreto Senatus, & in Theatro suorum: In omnes  
deniq; se formas conuertit, nihil relinquens intenta-  
tum, quo & Disputator subtilis & Orator vehemens ac  
grandiloquus videatur, Aristotelem & Ciceronem sua  
opinionem, longo post se relinquens interuallo.

Possemus quidem, vt dixi, retorsione vti, omni iu-  
re concessa, praesertim vbi maledica sua & virulenta lin-  
gua, calumniator, nos diffamare conatur, cum Ganeo-  
nes nos vocat: quod crimē nobis intentatum, illi in iu-  
dicio, si dies ipsi diceretur, probandum incumbbat.  
Vbi intelligunt facilè omnes, quod maximus se nobis  
aperiat ad dicendum contra istos, campus. Et quidem  
idem crimen verè in nostros aduersarios retorqueri po-  
test.

P R A E F A T I O.

test. Sed hæc, cùm per se lippis & tonsoribus sint nota, & res loquatur ipsa, nec stulto respondendum iuxta suam stultitiam moneat sapiens: nos omissis illis, & aduersarij iuuenili ista & infana maledicendi petulantia, ac insultationibus, quibus maximam libelli sui partem compleuit Declamator: breuiter de rebus ipsis ad argumenta, quibus mirificè homo iste sibi placet, cùm tamen nihil noui afferat, sed vsitata, decantata, protrita, & ex triuio sumpta ac mutuata, respondebimus, Deoq; propitio ita refutabimus, vt Lector veritatis amans, ex Scripturis sacris facillè sit cogniturus, ab vtra parte veritas stet & maneat.

Cùm autem nulla certa vtatur Methodo, sed chaos sit confusum, & plurima misceat: ad singula, vt se illa nobis in libello eius offerunt, respondebimus, illius calumnias, Deo nos iuuante, solidis scripturæ S. testimonijs refutaturi.

Hoc meum responsum, serenissime Dux, Domine clementissime, vt Celsitas vestra sereno vultu à me accipiat, cùm (quod ab initio dictum est) olim Imperatores, quamuis Ethnici, Christianorum legerint Apologias, indeq; rectiùs informati, miriùs cum eis egerint: Et cognoscat ipsa, clementer alteram partem audiat, auremq; dextram, more Alexandri verè Magni, reis integram seruet, humilimè oro. Quod facturam mihi planè polliceor, cùm ipsa Christo nomen dederit, eamq; aliàs Religionis studiosam esse prædicari audiam. Intelliget ea profectò, luculentam nobis ab aduersæ partis Doctoribus fieri iniuriam, cùm consequentias mirabiles & sophisticas colligunt ex nostris scriptis, contra nostram mentem, & quæ etiam ex nostra doctrina minimè se-

P R A E F A T I O.

quuntur, vt nos nostramq; doctrinam deforment, traducant, & odio prægrauent apud eos, qui scripta nostra non legunt. Quod hoc scripto omnibus manifestum facio, & ad oculum demonstro. Hisce humilimè salutem Celsitudinis vestræ Deo Optimo Maximo commendo, quem ex intimis pectoris mei penetralibus oro, vt salutare Reipub. & Imperij Germaniæ, Patriæ nostræ charissimæ gubernatores, propitius conseruet, ad sui nominis gloriam illustrandam, vt in pace tranquillam vitam agere possimus in omni pietate & castitate, & tandem post hanc ærumnosam, perpetuam consequamur, per Dominum nostrum Iesum Christum mediatorem, per saluatorem vnicum, Amen. Data Tubingæ, Calend. Februarij. Anno. &c. 87.

*Vestram Celsitudinem  
humiliter colens*

*Jacobus Heerbrand D.*

1.  
RESPONSIO AD

CONVICIA, GEORGII GOTT-

HARDI, QUÆ IN EPISTOLA DEDICATO-

ria, ad suum Principem Canonicus nobis

facit, maximè Luthero.

**I**NITIO GRAVISSIMAM QUE-  
relam contra nos instruit, de turbata à Luthero pace  
& concordia, in Ecclesia & Religione: & accusa-  
tionem gravissimam Germanorum, quòd admiserint  
Lutherum, eiq̄ aures præbuerint, & non potius statim ab initio op-  
presserint eum. Quæ accusatio iniusta mihi esse videtur: cum Pon-  
tificij nihil intentatum reliquerint contra Lutherum. Deinde in  
nos quàm vehementissimè magna verborum vi & copia inuehitur:  
Nos capitales Ecclesiæ Catholicæ hostes esse, Religionis ipsorum à  
Christo & duodecim Apostolis profectæ dogmata, omniq̄, pro libi-  
dine miscere, & auitam Religionem excindere & extirpare conari:  
longè deteriores veteribus Hæreticis, qui vniuersa propè dogmata  
explodere, Ecclesiam euertere, fidemq̄ Catholicam & omnem Re-  
ligionis Christianæ cultum è medio tollere moliamur.

Audire mihi hîc videor Achabum illum impium Israelita-  
rum Regem, idololatram, piorum Prophetarum occisorem, ad ma-  
lum faciendum venditum: qui eodem modo, Eliam Prophetam  
excipiebat. Tu ne, inquiens, ille es, qui conturbat Israel? Imò Dia-  
bolos ipsos aduentu Christi fugatos, expulsos, regnoq̄ ipsorum per  
eum euerso, ipsum accusantes: Vt quid, dicentes, venisti ante tem-  
pus perdere nos? 1. Reg. 18.  
Matth. 8.

Eodem prorsus modo, cum hîc Canonicus, cum alij sacrificuli, &  
Romani Pontificis Satellites, non tam pro aris, quàm foris splen-  
didis dimicant, pro suo regno bellum, quantis possunt viribus, in-  
staurant

staurant, arma expediunt, mundumq̄ libris & clamoribus factio-  
nibusq̄ suis replent, & conturbant.

Jerem. 7.

Verum cum Helia Propheta Domini respondemus, non nos  
turbamus Ecclesiam, sed vos Papicole, vestriq̄ Maiores, & patres,  
à quibus hoc didicistis, hausistis, accepistis, qui deserto vero & vi-  
co Salvatore Iesu Christo, eiusq̄ verbo, secuti estis Baalim, hoc  
est, idola multiplicia, quæ excogitastis, doctrinam caelestem mul-  
tifariam corrupistis, Ecclesiam Dei veram perturbastis, miserè  
seductis plebibus, de quibus in sequentibus copiosius. Iam vocè  
magna fortiter vociferamini, sicut olim Iudeorum Sacerdotes,  
templum Domini, templum Domini, templum Domini. Non peri-  
bit lex à Sacerdote, neque visio à Propheta: Ecclesia, Ecclesia,  
Ecclesia Catholica non errat. Respondeo, nihil contra Catholicam  
nos diximus, aut scripsimus Ecclesiam, Christi sponsam, colum-  
bam dilectam, vnam, sanctam, Apostolicam, columnam verita-  
tis. Absit à nobis, & omnibus pijs mentibus: sed contra Papa  
Synagogam, quæ non à Christo & Apostolis ipsius duodecim, do-  
gmata accepit, ut hic Canonicus nugatur: sed eis aduersatur, cul-  
tus & noua dogmata, illisq̄ contraria excogitauit, inq̄ Ecclesiam  
Christi inuexit, corruptis & mutilatis Sacramentis à Salvatore  
institutis, & ab Apostolis in Primitiua Ecclesia obseruatis.  
Quod ne illi ipsi quidem primi authores diffidentur, sed publicè pro-  
fidentur. Non ergo nos quicquam Christi & Apostolorum immu-  
tauimus, abrogauimus, multò minus euertimus. Sed vos, vos,  
inquam, Papicole, reddite nobis Ecclesiam primitiuam, & pax  
est restituta in omnibus terris.

Concil. Constant.  
Sess. 19.

De Luthero.

Porrò in Lutherum vehementius inuehitur, ac debacchatur,  
huncq̄ sibi exagitandum suscepit passim, & in Epistola nunciu-  
patoria, & in toto libello, cum quod ad vitam & mores, tum et-  
iam quod ad doctrinam attinet, ac mirificè sibi placet declama-

tor, in plausible apud suos argumento, plaustra conuiciorum in ipsum conuehens (crapulam inprimis & libidines illi obijciens) quibus eum onerat, ac proscindit.

Ad quæ semel respondeo: ab hostibus ipsius hæc temerè & mendaciter esse conficta & sparsa. Alij verò qui familiariter ipsi sunt conuersati, eumq; nouerunt, contrarium verè affirmare audent. Ego quoq; qui eum quinquennium vidi, audiui, in ædibus ipsius sapiens fui, bona fide, & conscientia testari possum, sobriè, temperanter, honestè, piè & sanctè, sapius etiam in ediam aliquot dierum sustinuisse, non absq; testibus vixisse. Semper enim conuictores aluit, viros graues & honestos.

Extant multorum & fide dignorum virorum testimonia de vita, moribus, laudibus, ac morte Lutheri, quæ nulla vnquam delebit, aut obliterabit memoria: dicant, fingant, excogitent, mentiantur quicquid velint hostes ipsius. Ac sciant ipsi, non ideo Lutherum sordere nobis, quia Pontificijs displicet, quorum regnum Antichristianum per Dei gratiã euerit: Sed pro salutari Doctore diuinitus excitato, vt euellat & destruat impietate Papatus idololatriæ (non autem, vt isti mentiuntur, dogmata Christi & Ecclesiam eius) repurgetq; & instauret sincerã Religionis & Ecclesiæ Christianæ doctrinam antè ab Antichristo Romano corruptã, nos eam agnoscere. Quod suum officium ad quod diuinitus est vocatus, magno, singulari, & heroico Spiritu diuino afflatus, à Deoq; ornatus fecit, formidabilis omnibus suis etiam potentissimis hostibus, cuius viri, Canonicæ miser, ferre non potuisses oculos viuui, imò nec umbram quidem eius intueri ausus vnquam fuisses, quem iam vita functum, velut in Hectorem mortuum sciuens, lacerare non erubescis.

Fuisse autem Lutherum diuinitus excitatum, & salutare Dei organon, res ipsa testatur & loquitur: Tenebras enim plus quàm Cimmerias superiorum temporum dissipit, lucemq; verbi Dei

2. Theſ. 2.

clarissimam restituit. Solus & vnus, non potentia, aut praesidio vel viribus humanis, sed solo Dei verbo & Scripturae sacrae testimonijs fretus, & sic Spiritu oris Domini, Romanum Pontificem Antichristum esse docuit, patefecit, inq̄, cur dibus hominum, quod praedictum est, occidit: dogmata ipsius, verbo Dei damnata esse docuit: cultus impios & de ingenio humano excogitados demonstrauit: Ecclesiam Christi sponsam, multis erroribus pollutam & contaminatam, à sordibus istis ordinum Monasticorum, caelibatus Sacerdotum impurissimi, idolomania multiplici in hominum mortuorum inuocatione, repurgauit: mutilationem & prophanationem Cene Dominicae horrendam, in Missae sacrificium conuersa, deiecit, & sicut Christus mensas numulariorum, ementium & vendentium in templo Hierosolymitano, ita hic nundinationes Missarum euerxit, & ex Ecclesia eiecit. Scripturas sacras sicut & squalore obfusas, Spiritu sancto illustratas, pristino nitore restituit. Haec nullis viribus humanis, vt dicere coepimus, fieri potuerunt. Sicut olim summi orbis Christiani Monarchae, Henricus quartus & Ludouicus 4. Bauiarus, Friderici, Imperatores, hoc ipsum adiunctis sibi viris vniuersis, doctissimis (sed nondum tempus aderat, durante adhuc ira Dei) frustra & infelici successu tentauerunt.

Opposuerunt se Luthero, Pontifices Romani cum Monarchis potentissimis, Concilijs & Academijs, horribilibus etiam persecutionibus tumultuantes: sed quò magis hi se ueruerunt, eò latius est sparsa & propagata vera & sincera, quam profitemur Religio & doctrina, quia verbo Dei nititur.

Quantum valuerit docendo, arguendo, Scripturae sacrae interpretatione, plurimi summi & infimi, docti & indocti, gratias agnouerunt animis, & aduersarij ipsi intellexerunt & confessi sunt. Haec sole meridiano sunt clariora. Quae, qui non vident, opus esse plantae diuinum, non calpis solum sunt caeciores, sed à Diabolo dementatos & excacatos esse necesse est. Homo quidem fuit, sed tamen à vitijs quorum ab hostibus suis insimulatur, alienus.

Aduersum Georgium Gotthardum.

5

Sicut minimè ex ambitione, aut vindictæ cupiditate, multo mi-  
nùs verò aua ritia studio, vt à Canonico isto insimulatur, causam  
banc contra Pontificiam Ecclesiam, eiusq; errores, & idololatri-  
am turpissimam suscepit. Quòd videlicet quæstus ille, qui ex Indul-  
gentiarum Papalium negotiatione proueniebat, sui ordinis fratri-  
bra interciperetur & ad Dominicanos transferretur, iniquo eum  
passum animo. Vbi ex suorum ingenio de Luthero iudicat. Notum  
enim est, quæ gurges & vorago sint Romanenses, præsertim Papa:  
cuius redditus annui sunt, vt à nonnullis computatur, centum auri  
tonna, vt habetur in Libro, cuius titulus est: Defensio Parisen-  
sis curiæ & libertatis Ecclesiasticæ Gallic. Ludouico undecimo  
exhibita.

Sed propter gloriam nominis diuini, vt Christo redemptori  
honor debitus tribueretur, ad salutem Ecclesiæ & piorum, ad re-  
tundendam impudentissimi rabulæ Tezelij Indulgentiarij petu-  
lantiam ac blasphemiam, qui publicè prædicare non est veritus:  
Tantas esse suarum vires indulgentiarum, vt si quis per impossi-  
bile, D. virginem Mariam constuprasset (horresco referens) redem-  
ptis indulgentijs istis, statim absolutum esse ab hoc peccato.

Hoc initium fuit, hæc causa & origo dissidiorum in Ecclesia,  
quæ non Luthero, sed pontificijs erroribus turpissimis & moribus  
peßimis, qui taxandi erant, adscribenda.

Sicut delecti Cardinales ipsimet liberè testantur, dum dicunt,  
Pontifices nonnulli coaceruauerunt sibi Magistros ad desideria sua  
qui docerent, quòd voluntas Pontificis, qualiscunq; ea fuerit, sit Re-  
gula, qua eius operationes & actiones dirigantur. Ex quo procul  
dubio efficiatur, vt quicquid libeat, id etiam liceat.

Ex hoc fonte, Sancte Pater, tanquam ex equo Troiano, ir-  
rupere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam grauissimi morbi, qui-  
bus nunc conspiciamus eam ad desperationem ferè salutis laboraf-  
se &c. Nomen Christi iam obliuim à gentibus & à NOBIS CLE-  
RICIS.

Cardina-

Fol. 10. r.

Ex Consilio defe-  
torum Cardinali-  
um de emendanda  
Ecclesia ad Paulū. 3.



Cardinales ambiunt Episcopatus, & passione animi impediti, loquuntur ad gratiam, nec audent sententiam liberè dicere.

Wett Frig.  
Cum tres, vel etiam  
quatuor, vni conferuntur Episcopatus.

In collationibus Episcopatum, prouidetur magis personis quibus conferuntur, quàm gregi, & Ecclesiæ Christi.

Presbyteri ordinantur indoctissimi, imperitissimi, & omnigenere scelerum sordidati.

MONACHI tanto sunt offendiculo, ac præsertim Conuentuales, vt hi omnes ordines iudicentur digni, qui aboleantur.

In Academijs, præsertim Italicis, docentur & disputantur impiissima.

Et ante hos, Andrianus Papa 6. in instructione sua ad Comitia Norinberg. anno 1522. inquit: SCIMVS in hac sancta sede, aliquot iam annis MVLTÀ ABOMINANDA fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, & OMNIA DENIQVE IN PERVERSVM MUTATA. Hactenus verba Hadriani.

Hi morbi grauissimi in Ecclesia grassantes, in primis vrb corruptela doctrina cœlestis, & idolomania multiplex & horrenda, crudelem requirebant Medicum, qui fuit Lutherus, cui occasione iustissimam præbuerunt. Hic fons, hæc origo certaminum Ecclesiasticorum, vt Cardinales dixerunt, & Pontifex ipse Hadrianus haud inuitus est confessus.

Fol. 1.

Turpe ergo Canonici mendacium est, quod scribere sibi permittit: sic: Exemplo Lutheri, & disciplina factum est, vt homines liberius in omni flagitiorum genere volutentur, vt audacius in omnes res sacras irruant, vt flagitia & scelera ardentius suscipiant, vt Religionis oblici omne vitæ suum tempus, in corporis voluptatibus consumant.

Huius enim planè contrarium testantur, & Hadrianus Papa ipse, qui ingenuè fatetur in sede sancta Rom: OMNIA IN PERVERSVM MUTATA. Et Cardinales delecti, ex Pontificum Romanorum licentia (non Lutheri doctrina) tanquam ex fonte & equo

quo Troiano in Ecclesiam Dei irrapisse tot abusus, & grauissimos morbos, quibus iam ad desperationem ferè salutis laboret. Audin Canonice, malorum qui fons, quæ origo omnium in Ecclesia? Pessimè ergo facis & falsissimè in Lutherum, malorum istorum culpam omnium transferrens.

In quam sententiam plurima infrà quoq; sapius & subinde, sicut odiosissime, ita mendacissime repetit & inculcat, omnibus q; modis, cum alij Papicola, tum hic Canonicus in hoc minimè, vel si ita placet, maximè Canonicus, & hoc suo scripto, & semper hoc saeuerunt, vt hominibus, quibus scripta ipsius legere non est concessum, sed seuerissime interdicitur, persuadeant: Lutherum frena laxasse & habenas cupiditatis, bona opera prohibuisse, sicut & hæc & alia spargere non cessant: Nullum esse apud nos ordinem, sed meram barbariem & similia: cum huius contrarium libri ipsius passim testentur. Ad pietatem quantum omnino potuit, potuit autem plurimum, est exhortatus: in vitia, vt qui maximè est inuectus, eaque grauissimè taxauit & corrigere studuit. Idq; non, vt Canonicus calumniatur, tum demum facere cœpit, cum videret, ex sua doctrina de gratuita fidei iustificatione, & libertate Christiana, in quam vendicare est plurimum conatus, morum corrupeclam, & discipline dissolutionem, sequi intelligeret: sed statim & ab initio. Quod testatur & Papisticum hoc refutat mendacium, Libro, qui continet Enangelorum & Epistolarum explicationem, quæ vsitatis diebus Dominicis in templis populo præleguntur & explicantur, vbi Dominica paschatis de expurgando fermento, grauissimè ad bona opera exhortatur. Editus est Liber iste anno 1520. Et sic ab initio.

Quod verò non omnes homines exhortationes istas sunt secuti, minimè hoc ipsi imputandum, & iniquum esset, si culpam hanc præstare teneretur Lutherus, sicut nec Christus ipse, nec Prophetæ ante ipsum, nec Apostoli eum secuti sua doctrina hoc efficere potuerunt, vt omnes in viam reuocati ad frugem venirent. De quo Apostolus,

Rom. 10.

grauissimè conqueritur & οὐδὲν ἄλλο adducit testem Prophetam præcipuum, dicens: Ac qui non omnes obediunt Euangelio? Esaias enim dicit: Domine quis credidit auditui, hoc est, prædicationi nostræ? Non ergo hinc sequitur, doctrinam Lutheri non esse diuinitus traditam, quòd ex ea non omnes meliores sunt redditi. Semen bonum seminauit Paterfamilias, vnde igitur zizania? Aliud cadit in viam, aliud inter saxa, aliud inter fentes & spinas.

Marth. 13.

Fol. 13.

Quod verò addit: quid enim? an non etiam ante Lutherum Ecclesia verbum Dei habuit? Respondeo, Pontificiam Ecclesiam habuisse verbum Dei, hoc est, textum Bibliorum, sed sine mente & vera, ac genuina eorum sententia, quemadmodum Iudæi & olim & nunc veteris Testamenti libros habent, quos Augustinus Christianorum vocat Scriniarios, siue Bibliothecarios. Quomodo verò fermento Pharisæico veritatis Euangelicæ sinceritas sit corrupta: & qualia sonuerint dogmata in Scholis, templis & praxi Ecclesiæ Romanæ (sicut delectos Cardinales testatos audiuius, in Academijs, præsertim Italicijs, doceri & disputari impijissima) quis vel dicendo enumerare valeat, nedum augie hoc stabulum expurgare à sordibus istis. Extant libri Romanensium, qui id testantur, & quibus annotati sunt à nostris vltra sexcentos errores nominatim & in specie, quorum multos detexit & refutauit Lutherus, repurgans doctrinā cælestem, ad quā illustrandā diuinitus est excitatus.

Extant multorum bonorum, & fide dignorum testium scripta, de vita, moribus, veris laudibus, virtutibus, ornamentis & morte Lutheri, qui spectatores horum fuere omnium, quæ nulla vnquam delebit, aut obliterabit memoria. Apage sis ergo in malam rem, cum ista tua, Canonice, procerua maledicendi, calumniandi, conuitiandi & mentiendi libidine. Maior est Lutherus, notiora sunt scripta, & perpetua ipsius sententia, quam, posteaquam ad pleniorē cognitionem veritatis peruenit, postea semper constanter retinuit. Nam & ipse, Papatu erroribus & tenebris fuit immer-

sus

sus initio, nec statim omnia ista intellexit. Nam cum contra Indulgentiarum nundinationes disputationem edidisset, adhuc Romanum Pontificem pro Christi vicario agnouit, quem postea Antichristum esse demonstrauit, sed ut Augustinus de se quoque testatur, scribendo se profecisse, & proficiendo scripsisse: ideoque postea Retractionum libros scripsit: quod à nemine sapientie aut pio, vitio illi vertitur, tantumque abest, ut hoc nomine reprehensione dignus videatur, quin maxime hoc nomine prædicetur. Semper enim discipulus est dies prior posterioris: Ita & Lutherus in agnitione veritatis creuit. Cur ergo hoc in Luthero reprehenditur, qui hoc ipsum fecit: nisi quia praua & peruersa, odio personæ, hominum malorum sunt iudicia & sententiæ. Non est igitur, quod hoc nomine inconstantia Fol. 13. arguatur Lutherus in doctrina, & quod sectæ postea sint exorta. Non enim meliores sumus Apostolis Domini, quorum vnus dixit: Et ex vobis ipsis surgent viri, loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Alius autem: Ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis. Año. 10.  
1. Iohan. 2.

Sed de Luthero hæcenus satis. Multa enim, quæ passim in toto Libello insperfit contra eum, prudens iam prætereo, ne excre- cc  
 scat responsum. Sicut & Thraonicam Canonici gloriationem de hoc cc  
 suo conatu, quo meum, aliorumque hæreticorum furorem contra cc  
 Ecclesiam Catholicam comprimere atque contundere velit, multa cc  
 valde de se promittens liberaliter & iuueniliter, libenter silentio cc  
 prætereo. Ac miror potius, quid dignum tanto proferet promissor cc  
 hiatu (libet enim cum Horatio loqui.) Imaginatur fortè Atlan- cc  
 tem se esse quempiam, qui cælum Papisticum, ne ruat, humeris suis cc  
 sustineat. Et alia de suis Libellis, quos partim ediderit, partim ve- Fol. 20.  
 ro parturiat, si hæc probentur Lectori, promittit.

Omiteo etiam, ut ad rem perueniamus, quod in præfatione ad Lectorem sua narrat stratagemata & facinora egregia, quod cum, nescio quo loco fuerit, Sirmingã appellat, Lutheranos expulerit Præ- cones,

Mas. 52.

cones, & quanto in periculo fuerit versatus. Quæ cum alieni facti sint, & ignorem ego, quid, quomodo, & à quibus factum sit, in medio relinquo. Nisi quod Tyrannis, crudelitas & persecutio piorum mihi doleat, & cum Dauide dico: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die malitiâ cogitauit lingua tua, & quæ sequuntur reliqua. Propterea Deus destruet te in fine, euellet te, &c.

## REFUTATIO ET RESPONSIO IACOBI HEER- BRANDI D. AD LIBELLVM GEORGII Gotthardi Canonici Patauicnsis, male- dicum & impium.

**V**GVSTVM EST ET GLORIOSUM nomen Ecclesiæ Catholicæ, sicut & Christi & Apostolorum, quorum autoritate & prætextu falsi Doctores, tanquam Asinus Cumanus, exuiuis indutus Leonis, in scenam laruari prodeunt, vt terribiles appareant aduersarijs. Ad hunc planè modum, cum alij Doctores Pontificij, tum Georgius quoq; Gotthardus, homo nouus & Doctor Theologus in proscenium venit, tetros palliaturus errores Papatus, veit Gorganis caput ostentans, non rugitum, sed rudium solitum, Ecclesiæ Catholicæ nomen subinde ingeminans, edit, scripturus contra me defensionem, vt habet titulus, Catholicæ Ecclesiæ sed vt ergo veri iudico, Cacolyca. Quem verò, quid dicit impugnat bonus iste vir? Non enim vnquam quicquam contra Catholicam Ecclesiam à me scriptum, dictum, factum est. Absit hoc, absit, inquam, à me impietas ista. Hæc enim Christi sponsa est dilectissima, vnica columba eius, speciosa, quam sanguine suo redemit: sed contra falsam, impiam, prophanam Pontificis Romani colluuiem malignantium, sicut David cecinit: odium Ecclesiam malignanti-  
um:

um. Hac, sicut caput illius Papa Christi est aduersarius, ita quoque in omnibus Christo aduersatur, in doctrina, Sacramentis, cultibus, qua omnia corrumpit, deprauauit, euerit, et horrendas, plusquam Aegyptiacas & Cimmerias in veram Christi Ecclesiam inuexit tenebras. Doctrinam enim de fidei in Christum iustificatione gratuita, peruertit, iustitia per charitatem infusam, supposita, qua homo coram Deo sit iustus & acceptus, ac mereatur remissionem peccatorum, vitamque aeternam operibus debitam mercedem. Dubitationem, conscientiarumque carnificinam, confessionem auricularem, operumque satisfactionem docuit. Sacramenta partim conspurcauit, partim mutilauit, caenam Domini in Missas, quas mentiti sunt sacrificium esse verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum conuertit, purgatorium fabulosum & poeticum ab Ethnicis confectum, Ecclesiae obrusit, viamque ad salutem aeternam consequendam obscurauit, varijs ac multiplicibus excogitatis modis ac vijs erroneis, peregrinationibus longinquis Romam, Hierosolymam, Compostellam, & in alia loca susceptis, nundinationibus Indulgentiarum Papalium, Ordinibus Monasticis innumeris, in quibus vita aeterna meritum, quod alijs precio vendebant, in operibus proprijs & alienis, animarum quarebant salutem. Hisce & alijs modis innumeris, beneficium & meritum Christi ad opera hominum, sicut & officium Mediatoris ad D. Mariam virginem, aliosque mortuos homines, quorum meritis homines saluari docuerunt, non absque horrenda idololatria transtulerunt. Sic enim scribunt: Patet preces nostras spemque consequenda beatitudinis per Mediatore sanctos in caelo inanes non esse: sed ordine à Deo instituto (ubi?) nos ad eorum auxilia confugere debere, ac debita reuerentione semper implorare, VI SALVEMVR EORVM MERITIS ATQVE VOTIS. Hoc modo ex Christiana Religione facta est planè Ethnica idolomania, tantum permutatis nominib. Pro magna Deorum matre, Pontificij D. Mariæ, pro Marte Georgij, pro Appolline & AEsculapio, Cosmam & Damianum, pro Lucina

Gabriel super Ca-  
non. Missa. Lect. 29

Margaretam coluerunt & inuocarunt. Sicut πωδεσρ Roma in  
D. Virginis & omnium Sanctorum templum conuerterunt.

Matth. & Marc. vi-  
timo.

1. Timot. 1.

Heb. 13.  
1. Timot. 2.  
Ioan. 2.

Matth. 15.

2. Thefl. 2.

Quemadmodum & tres ordines Hierarchicos corruerunt.  
Christus enim Ministerium verbi instituens, predicare & docere  
præcepit Ecclesie sue ministris, Euangelium, & ea, quæ ipse prior  
docuerat: & hos Apostolus ipsius, maritos honestos esse voluit, exem-  
plaria gregis. Papa sacrificulos ad celebrandas Missas, de quibus  
ne gry quidem in scriptura, consecrat & emittit, quos coniugium vo-  
luit abiurare, & viuere calibes, concubinarios turpes. Magistratus  
politicos in honore haberi præcepit: ideoq; Deos appellauit.  
Papa pedibus colla eorum calcauit. Mirando consilio Deus coniu-  
gium instituit, quod Apostolus honorabile esse voluit inter omnes, &  
itale vitæ genus, in quo pij homines salutem consequantur æternam,  
testatur. Christus sua id præsentia & dono miraculoso ornauit,  
quod Papa cum suis, carnale appellauit & mundanum, in quo  
Deus coli, aut ipsi placere non possunt, allegantes illud Apostoli: qui  
in carne sunt, Deo placere non possunt. Ideoq; peculiare vitæ genus  
instituerunt, Monasticen, & tot ordines, quot superstiriosi homi-  
nes, inuectores variarum Regularum, à quibus etiam nomina sua  
sunt sortiti, in quarum obseruatione, perfectionem Christianam  
consistere commenti sunt. De quibus omnibus Christus pronunciat:  
frustra me colunt mandatis hominum: Et omnis plantatio, quam  
non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Hæc, vt alia quam  
plurima taceam, tenebræ suère, & sunt Ecclesie Papisticae paspa-  
biles, in quibus versantur adhuc miserè excæcati homines, duces ca-  
corum. Hæc ira Dei fuit iusta, quod dilectam veritatem noluerunt  
amplecti: ideoq; efficaces immisit errores, vt crederent mendacijs  
& seducerentur, ac perirent omnes, qui non crediderunt veritati,  
sed consenserunt iniquitati. Ita vt nemo Papistarum, sicut ne nunc  
quidem, certam potuerit, ad vitam æternam, viam monstrari.  
Sed cum omnia per omnem vitam fecerunt, quacumq; præceperunt  
ipsi.

isti, maximis laboribus, sudoribus, sumptibus, tandem de salute dubios, in ignem quandam purgatorium, in quo pro peccatis parentur, & passione ista, atq; vitione ignis, à sordibus peccatorum purgantur & mundentur, quemadmodum argentum per ignem à scoria purgatur, ablegarunt: sicut & in populo Dei factum est, & ante priorem & posteriorem Hierosolymorum euerfionem, tempore aduentus Christi in carnem, vbi Pontifices in ordinaria & diuinitus instituta successione, cum Prophetis & Sacerdotibus turpissimè errauerunt, cæci cæcorum duces, in varias distincti aut potius discerpti sectas: Pharisei, Essai, Zaducæi.

1sa. 56.

Sed vt tunc Deus misertus clementer populi sui, Christum lucem mundi misit, & Apostolos Doctores (quos tamen illi recipere noluerunt, vt perirent) qui repurgarunt Ecclesiam: Ita iam hoc nouissimo tempore, immensa clementia & bonitate excitauit Lutherum, per quem lucem verbi sui accendit, & ab erroribus & tenebris Pontificijs, & captiuitate Babylonica, Ecclesiam suã liberauit, planissimãq; viam ad vitam æternam, per solam fidem in Christum consequendam, ex verbo Dei monstrauit: quæ eadem fuit ab omnibus in Ecclesia omnium temporum Prophetis tradita, Principe Apostolorum teste, Actor. 10. dicente: Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Similiter Actor. 4. & 15. pro hac luce & summo beneficio, Deo nunquam condignas agere possumus gratias.

Porro sicut Ictus animalculum, sub strue lignorum natum, vbi etiam in tenebris viuit, si quando inde eiicitur, lucem ferre non potest, sed statim latebras, & loca tenebricosa quarit, quibus etiam vnice delectatur: Ita Canonicus iste natus & educatus in Romana Ecclesiæ tenebris, eisq; assuetus, ferre, agnoscere, & videre lucem veritatis non potest. Manet enim ob oculos ipsius velum, non Moisaicum, sed Papiisticum. Et quia cæcus est totus in rebus sacris &

Theolo-



2. Cor. 4.

*Theologia* : ideo gloriam Dei, & lucem verbi Dei admirandam ferre & videre non potest, sed sicut cæcus in meridie palpat. Qui enim cæcus est, quantumvis Sol splendidissimus luceat, videre eam non nequit. Quemadmodum Apostolus inquit: Quod si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt est opertum, in quibus Deus huius seculi excacavit mentes infidelium, ut non fulgeat illuminatio Evangelij Christi, qui est imago Dei. Ideoq; indigne fert, & omnibus, quibuscumq; potest modis reclamatur, docere & persuadere magno verborum apparatu & lenocinijs ac orationis prolixæ summe multisq; figuris Rhetoricis ad persuadendum compositis, per multa folia sui similibus excacatis conatur: Vanam esse & inanem, imò & perniciosam nostram istam iactationem, qua asserimus, per Lutherum lucem doctrinæ cælestis in Evangelio accensam, & Papistas in tenebris versatos hæcenus. Tum etiam moleste fert Lutherum scripsisse: principia Papistarum esse Traditiones humanas, in sacris literis non expressas, Pontificem Romanum, & dubitationem de gratia.

Fol. 23.

Concilium Tridentinum  
Sess. 4.

Sed hoc quomodo ægrè possit ferre miror? cum Tridentinum decreverit Concilium: Traditiones non scriptas, cum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & veneratur Ecclesia.

Nota, unde quinque  
Sacramenta Pontificia,  
præter illa duo à Christo instituta.Regula Pontificia  
de traditionibus.

In quam sententiam Fr. Petrus à Soto quoq; & in hæc verba scribit: Habemus totum Sacramentum Confirmationis, atq; ordinis, & matrimonij, & extremæ unctionis, & elementa & verba, atque effectus ex Traditione Apostolica. Non quod negemus in scriptura esse nonnulla de ijs Sacramentis: sed omnia, que ad integritatem eorum, que CERTA FIDE necessaria tenemus, CUM IN SCRIPTURA NON SINT, NECESSE EST APOSTOLICÆ ESSE TRADITIONIS. Circa reliqua verò duo, Eucharistiam

*fiam & penitentiam; habemus etiam CERTISSIMA TRADITIONE, SACRIFICII ALTARIS OBLATIONEM, lectionem Psalmorum, & Canticorum usum, inuocationem Sanctorum, pro defunctis orationes, & circa penitentiam peccatorum enumerationem Sacerdoti faciendam, necessitatem satisfactionis, ex Apostolica similiter habemus traditione. Hactenus ille.*

Quanta certitudo istorum hominum, cum verbo Dei destituantur? Dubitatio verò, de Veritate promissionum diuinarum?

*An verò non tibi videtur, optime mi Lector, Traditiones principium esse probationis? Regula enim est Ecclesia Pontificia, Quòd ea, quæ Romana tenet Ecclesia, cum in scriptura non sint, necesse est Apostolicæ esse traditionis. Ita omnes suos errores, tum in doctrina, tum in moribus, tum etiam cultibus & ritibus Ecclesiasticis, ut hinc est videre, palliare, & vna hac fidelia omnes dealbare vel incrustare possunt parietes. Non quæras, vel dubites, vnde omnia Papatus, quæ nos iustè ex scriptura damnamus. Cum enim in scriptura non sint, necesse est Apostolicæ esse traditionis. An non fortissimum, validissimum, optimum, infallibile, & inexpugnabile principium Papatus?*

Regula Pontificia.

*Simile huius est & illud alterum, quod Lucherus scripsit, principium esse Papiatarum, Pontificem Romanum.*

*Cur hoc negas, Canonice? Quæ hæc noua Religio? Annon enim Papa, omnia iura habet in scrinio sui pectoris? Etiam si Papa suæ propriæ salutis immemor, quotidie innumeras animas cateruatim secum abducatur ad infernum, nec quisquam illi debeat dicere, quid facis? Huic enim datam esse potestatem omnem in cælo & in terra, quæ se extendat ad cælestia, terrestria, & infernalìa. Et contrarijs Petro viuens moribus, nihilominus verus sit Pontifex. Cuius maior sit potestas, quàm Moysis. Et quòd contra Epistolas Pauli possit statuere, quia maior Paulo, cuius dictis possit derogare. Vnde etiam formam Sacramentorum ab Apostolis traditam, possit mutare. Quia fundamentum fidei, sponsus & caput Ecclesiæ vniuersalis, & totius orbis. Nec possit errare in ijs quæ sunt fidei. Ideoq;*

Distinct 40.

D

asserens

asserens à Papa posse appellari ad Concilium, esse Hæreticus, quia supra Concilium, adeò ut ne quidem ad Deum à Papa appellari possit, ut à quibusdam disputatur.

Quòd si hoc non est ex Papa principium facere, nescio quid sit principium constituere,

De dubitatione quia inferius copiose dicitur, ideo iam præerimus ut studeamus breuitati, ne excreseat scriptum hoc, cum aduersarius valde multa inspergat, & simul omnem effundat spiritum.

Fol. 26. „ Porro, quòd lupos nos vocat rapaces, pelle ouina rectos, ideo  
 Matth. 7. „ cauendos: facile inuersione, & quidem rectè ex sententia Christi ver  
 Ioan. 10. „ possumus. Lupi enim sunt, qui oues sanguine Christi redemptas, diripiunt. Quòd faciunt, qui aliam viam in ouile Christi monstrant, quam unicam & solum Christum, hos vocat fures, latrones & lupos. Iam penes Christianum lectorem sit iudicium, tantum ex ijs paucis, quæ hæctenus scripsimus: utri lupi sint isti rapaces, seducences oues miserarum, à Principe Pastorum, ad propria & aliena opera, quibus vitam mereantur æternam, quæ donum Dei est per Christum Iesum, pronunciare. Istos ergo alienam asserentes & fingentes vocem, cauere iussit Pseudoprophetas, lupos rapaces, Christus.

Fol. 27. 28. „ Accusat insuper nos, quòd pro Euangelio, damnatos iam olim errores ab inferis reuocauerimus, quibus horrendum in modum delaterauerimus, & distraxerimus, imperij Romani vires adeò frangerimus, ut consistere vix valeat.

„ Nullius hæctenus ex verbo Dei legitimè conuicti sumus erroris, aut hæreseos: Sed publicè in libero Concilio parati semper fuimus, rationem nostræ doctrinæ reddere ex Scriptura sacra Canonica. Sed hæctenas per vestros stetit, quòd minùs id sit factum, nec unquam impetrare potuimus, ut publicè audiremur, cum quidem non sine vitæ periculo, coràm iniquis Iudicibus, pauci numero, sex nempe (quibus me solum Deus hæctenus superesse voluit, testem multarum rerum) prius oblata confessione nostra, in Concilio Tridentino compa

comparuissemus, parati vel eam defendere, vel decreta prius edita impugnare & refutare: sed frustra aliquoties id petiuimus.

Quod ad imperij dilacerationem attinet, iniuste nos accusat Canonici: nulla nos bella concitauimus. Rusticorum seditionem & ab initio Lutherus damnauit, & quantum potuit scriptis prohibuit, & Magistratum ad illam comprimendam esse exhortatus.

Vestri verò Pontifices, furiae infernales, quae non tantum contra se mutuo compla replentes sanguine: sed & contra Imperatores Romanos, legitimos suos Magistratus, mouerunt bella multis seculis? In quibus non dico millia aliquot, sed multa centena hominum millia misere perierunt. In quibus Papae subditos ab obedientia & iuramentis Magistratibus debitis, absoluerunt. Et insuper in seditionis bellis contra Magistratus legitimos sub signis Pontificijs militantibus & occumbentibus, Spirituales isti, & animarum pastores regnum caelorum sunt polliciti. Hæ, hi, hi, inquam, dilacerauerunt, Georgi, eneruarunt & fregerunt Romani imperij vires, non Lutherani. Quod si tuo more hic declamare vellem, vides, quam mihi amplius pateret campus inuehendi in Sanctissimos vestros Patres, qui pro lectione Bibliorum, arma expediuerunt & tractauerunt contra Imperatores Romanos. Cumq; clauibus regni caelorum se nihil posse proficere intelligerent, abiectis his, gladios arripuerunt. Sed hæc istis licent.

His ita præmissis, nouus surgit Orator, qui Germanos nimie accusat simplicitatis, leuitatis, & stultitiae.

Redijt haud ita pridem Roma emissarius Antichristi, qui vos ad vomitum reuecat. Arrigite ergo aures, ô Germani, audituri Solonem sapientissimum, aut si mauultis, tertius e caelo cecidit Cato, qui virgula sua censoria, mores vos docebit, vt vulgo loquuntur, præterita grauissimè repræhendens: Non fuisse audiendum Lutherum, clamitans, aut inconsulta Ecclesia quicquam in rebus fidei priuata auctoritate statuendum &c. sed prius totius orbis Christiani iudicium audiendum.

Nimis serò surrexisti, mi Domine Canonice, & post festum  
 venis: frustra q̄ laboras. Scilicet Petro & reliquis Apostolis expe-  
 ctandum fuerat, nec citius prodeundum in publicum, quàm Pontifi-  
 ces Iudeorum, Scribæ & Pharisei, doctrinam de Christo, quem non  
 ita pridem, tanquam seditiosum & blasphemum in crucem egerant,  
 veram esse & diuinitus per Prophetas prolatam, decreuissent. Sed  
 hi maximè non solum aduersabantur, sed & prohibuerunt, condem-  
 narunt, & quoscumque posuerunt eius Professores, persecuti sunt,  
 deniq; occiderunt. An non inquit, præcipiendo præcepimus vobis  
 ne in nomine isto doceretis? Et ecce replestis Hierosolymam doctri-  
 na vestra, & vultis super nos inducere sanguinem hominis istius?  
 Certè hæc planè est Canonici istius sententia, sicut in folio sue Maie-  
 statis sedens, concionari pergit: Non missum cucurrisse Lutherum,  
 ideo ei non credendum fuisse, maximè quod Nouum attulerit Eu-  
 angelium, etiamsi Angelus fuisset.

A. Q. 5.

Fol. 29.

Respondeo, Missum & vocatum esse diuinitus, supra re ipsa &  
 euentu comprobatum est. Et vocationem etiam per hominem ha-  
 buit. Primum enim ad docendam Scripturam sacram legitimè est  
 vocatus Vuitenbergam. Deinde cum renunciaretur Doctor Theo-  
 logia, iuramentum prestavit, de Hereticis deferendis. Cum igitur  
 ex verbo Dei cognouisset, Romanum Pontificem, Hæresiarcham,  
 Antichristum, lupum, Arctolycum, monstrum horrendum, ingens  
 Ecclesie cum, ratione officij, deferre debuit.

Deinde accusat Lutherum nouitatis doctrine, quod nouum  
 attulerit Euangelium, & quærit, quibus id miraculis confirmave-  
 rit? Respondeo, Lutherus sanè non nouum, aut aliud Euangelium  
 attulit, quàm quod initio Deus ipse prædicauit & promisit pri-  
 mis parentibus in Paradiso, Semen mulieris, quod contrituum sit  
 caput serpentis. Deinde ipse quoq; repetiuit Abrahæ Genesis 12.  
 Quod omnes Propheciæ de Christo annunciauerunt, teste Petro  
 Actorum 10.

Gen. 3.

Hoc modo Patres sub lege Moſis ſunt ſaluati, Act. 15. Hic  
 verè harmonicus eſt conſenſus, noſtra, & Eccleſiæ veteris omni-  
 um temporum. O igitur nimis cacos & ſurdos, atque indoctos Do-  
 ctōres Theologos, qui veterem & Chriſtam & vocem eius, Princi-  
 pis paſtorum, non agnoſcunt, nec audiunt in verbo ſuo loquentem.  
 O nimis ſomnolentos, qui profundo adeo ſunt immerſi ſomno, aut  
 lethargo potiùs, vt excitari non poſſint neque euigilare. O longè de-  
 teriores Iudeis: hi enim audita Chriſti concione, dicunt quidem: Marc. 7.  
 Quæ nam hæc doctrina noua? ſed tamen non damnant eam, verùm  
 mirantur, & inquirunt. Hiſ Chriſtus erat nouus, Doctrina  
 Prophetarum, quam ſingulis Sabbathis in omnibus Synagogis le-  
 gebant, noua erat illis. Tales habebat populus Dei Doctores, Scri-  
 bas, Phariſæos, Sacerdotes & Pontifices, qui nec de Chriſto, nec  
 de Euangelio, nec de lege quicquam intelligebant, aut rectè ſentie-  
 bant, vel docebant populum. Ideo noua illis videbatur doctrina,  
 ſicut huic Canonico, & alijs Pontificijs. O vos Papicolos, Echni-  
 cis deteriores, Chriſtiani titulotenus, Pontificij. Athenienſes enim, A. Col. 17.  
 audita Pauli doctrina incoſueta, & inaudita, reſpondent: poſſu-  
 mus ſcire, quæ hæc eſt noua, quæ à te docetur, doctrina? Noua enim  
 quædam inferſ auribus noſtris. Volumus ergo ſcire, quid nam ve-  
 lint eſſe? Vos verò non queritis, non vultis Euangelium vetus de  
 Chriſto vnico Mediatore audire, aut cognoscere: ſed tantùm, mo-  
 re maiorum veſtrorum, veterũ Phariſæorum & Scribarum, dam-  
 nare. Cum igitur Lutherus non nouum, ſed vetuſtiſſimum attru-  
 lerit Euangelium: ideo nouis miraculis illi opus non fuit, cùm ante  
 veteribus factis ſuper q̄ fuerit confirmatum.

Cum verò, Canonico, dicere vobis, quæ vultis, ſemper placeat,  
 & perpetuò nobis ogganniatis Nouitatem doctrinæ, audias etiam,  
 quæ non vultis. Demonſtrabo enim tibi Eccleſiam, doctrinam &  
 Religionem veſtram Papiſticam, omnia noua eſſe, & non vetera.  
 Vetera enim non ſunt, reſpectu Eccleſiæ veræ Chriſti (quæ eſt om-  
 nium

nium temporum) quæ per annos 400. aut 600. vel etiam mille hæ-  
 tenus durauerunt, sed noua: Noua, inquam, sunt, non vetera:  
 cum Ecclesia hinc à condito mundo, vna sit, doctrina eadem, modus  
 & via consequendi vitam æternam vna. Hanc inquirendam mo-  
 net Propheta: state, inquiens super vias, videte & interrogate,  
 quæ sit via bona, ambulate in ea, & inuenietis refrigerium anima-  
 bus vestris. Quæ autem hæc sit & in præcedentibus est dictum, &  
 copiosius in sequentibus dicitur & probabitur.

Patet, per omnia,  
 NOVA Religio.

Nouum est, & omnibus, reuera actis seculis inaudicum, quod  
 Thomas scripsit: Omnem actum charitatis, absolute mereri vitam  
 æternam. Nouum est, quod Monachatum comparant Baptismo.  
 Sicut idem Thomas scripsit, in Vita Patrum dici, quendam Pa-  
 trum vidisse, eandem gratiam descendente super eum, qui habi-  
 tum Religionis assumpsit, & super eum, qui baptizatur.

Cencil. Constant.  
 Sess. 13.

Nouum habent Sacramentum Eucharistiæ, mutilatum sa-  
 erilegè, sub vna tantum, vt loquuntur, specie à Christo non insti-  
 tutum, in Ecclesia Apostolorum primitiua, & multis post seculis  
 non sic obseruatum. Quod authores ipsimet fatentur, hisce verbis:  
 Præsens hoc concilium sacrum, generale, Constantiense, legitime  
 in Spiritu sancto congregatum, aduersus hunc errorem, salutis fide-  
 lium providendi satagens, matura plurium Doctorum tam diuini  
 quam humani iuris deliberatione habita, declarat, decernit, & de-  
 finit: Quod licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis  
 administrauerit, sub vtraque specie Panis & Vini hoc venerabile Sa-  
 cramentum: tamen hoc non obstante, Sacrorum Canonum au-  
 thoritas, laudabilis, & approbata consuetudo seruauit & ser-  
 uat, &c.

Et licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reci-  
 peretur à fidelibus sub vtraque specie: postea à conscientibus sub  
 vtraque, & à LAICIS TANTVM MODO SVB SPECIE PA-  
 NIS VSQVE CIPIATVR, &c.

NONVM

Nouum habent Psalterium: veteri Spiritus sancti per Dauidem descripto, miserrimè per Monachos falsarios, sceleratè, imò blasphemè corrupto & deprauato: in quo omnia, quæ Dei sunt, & Christi propria, ad D. Virginem Mariam hominem & fœminam (vt Epiphanius loquitur) sunt translata.

Noua est, & prorsus Ethnica mortuorum hominum inuocatio, veteri & vera Ecclesia incognita. Noua Indulgentia Papales. Nouus agnus Dei cereus, magicè à Papa consecratus, de quo scribunt: peccatum frangit, vt Christi sanguis. Noua est Papistica, imò Diabolica coniugij Sacerdotalis prohibitio, Ecclesie vera Dei, in veteri & nouo Testamento ignota. Noua & Ethnica, aqua consecrata, de qua dicunt: Aqua benedicta, deleat tibi ruita delicta. Nouum est festum Corporis Christi, demum anno Christi 1260. instinctu fœminæ Gallicæ Pontifici familiariter notæ, institutum. Nouus est Deus, Pontifex Romanus, qui se extollit super omne, quod Deus est, dicitur, & colitur. Quod in præcedentibus est demonstratum copiosius, quàm velles. Nouum etiam habetis Pontificij, Christum, Franciscum, quem alterum finxere & fecere Christum, qui quinque stigmatibus, vel vulneribus sibi ab Angelo impressis, in loco solitario, seruare possit à morte æterna, viros, qui vixerunt à tempore Francisci, vsque ad mundi finem. Sic purgatorium nouum, Ecclesie Dei vera & veteri incognitum. Nouum quoque habent Euangelium, & sic Quintum, Cyrilli cuiusdam Monachi Carmelitæ, quod anno 1192. accepisse in Missa, per angelum, ipsius Dei digito in argenteis tabulis græcè descriptum, super futuro Ecclesie statu, literarum monumentis perhibetur.

Sed quid facio quasdam Papistica Ecclesie noxitates describere, cum totus Papatus, & omnia, quæ illius sunt propria, noua sit Religio, Ecclesia, doctrina, & ceremonia, veteri vera Dei Ecclesia

O blasphemiam.

2. Thef. 2.

Flosculi S. Francisci.



sic incognita, partim ex ceremonijs Mosaicis κακοζυλῖα quadam  
Iudaizantium, iam olim per Christum, eiusq; Apostolos abrogatis,  
partim ex Ethnicismo collectus, partim à Pontificibus Romanis  
excogitatus. Ita ut rectè de Papatu dici possit: *Vetera transferuntur,*  
*ecce facta sunt noua omnia.* Hæc tibi, cuiusq; noua Georgi.

Fol. 30.

„ Flagellat in super Lutherum, arrogantem fuisse & Epicure-  
„ um, qui totius terrarum orbis consensum repudiaret, quod scripse-  
„ rit, se non antiquum usum, non multitudinè hominum, SED VNI  
„ VS MAIESTATIS ÆTERNÆ VERBUM ET EVANGELI-  
„ LIVM, aduersus illa ponere. Hic sto, hinc sedeo, hinc maneo, hinc glor-  
„ rior, hinc triumpho, hinc insulto Papistis, Thomistis, Sophistis, quibus  
„ verbum Dei est super omnia, &c.

Quibus addit Canonicus: *Obsecro, quæ hæc verborum porten-  
ta & monstra sunt? Aut quis Prophetarum egit sic unquam?  
Non sic Baptista, non Christus, non Apostoli, &c.*

2. Theff. 2.  
Gal. 1.

Quid audio, mi homo? *Sacin sanus es? An verò tu antiquum  
usum, & hominum multitudinem, æternæ Maiestatis verbum &  
Euangelio præferes? An non verbum Dei super omnia est? Et  
sic etiam supra vos Papistas, Thomistas? Nisi fortè quòd (ve iam  
antè dictum est, facitis) Papam vestrum supra Deum, eiusq; ver-  
bum collocatis, cui data sit omnis potestas in cælo, terra, & inferno.  
Ideoq; Antichristus, & vos Anathemata.*

Ierem. 1.

Quærit, quis Prophetarum sic egerit unquam? *Parum te in  
Sacra Scriptura lectione versatum Domine Doctor Theologe, de-  
monstras. Si enim saltem primum Ieremiæ caput legisses, inuenissis  
Dominum Deum, eodem planè modo instruxisse Prophetam suum.  
Ecce, inquit, posui verba mea in ore tuo, & constitui te hodie su-  
per gentes, & super regna, ut euellas, & destruas, & disperdas, &  
disipes, & ædifices, & plantes. Non sic, inquis, D. Ioannes Bap-  
tista, non sic generis humani conseruator: Es tu Magister in Israhel  
& non legisti caput Matth. 3. & 23. Certè non dissimilia, sed maiora  
ra etiam horum reperisses, ad quæ te remitto.* Quod

Quod ad Apostolos: Annon Apostolus etiam Angelum de celo, aliud afferentem Euangelium anathema vult esse? Annon idem falsos Doctores Satana tradidit? Annon excindi vult eos, qui diuerso doctrina genere Ecclesiam Christi conturbant.

Sed Apostoli humiliter se gesserunt, inquit Canonicus, atq; Ecclesie authoritati obediendum, omnibusq; suum honorem tribuendum Fol. 31.   
 praeceperunt.   
 “

Respondeo: vera sunt haec, si de vera Christi Ecclesia intelligantur. Sed haec quid ad vos? Qui similes estis, socij, & fratres Synagoga Iudaica, quam quomodo tractarint Apostoli, si legisti Acta illorum, ignorare non potes, respondente Apostolo Petro in Concilio Act. 4. ipsorum, prohibente eos docere Euangelium illud nouum de Christo crucifixo: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Et quam humiliter Stephanus in eodem Concilio Pontificibus, Principibus, & Sacerdotibus responderit, quamq; reuerentialiter illos tractauerit, ibidem legere licet: Proditores & homicidas Christi, qui semper restiterint Spiritui Sancto, loquenti per Prophetas, incircumcisos auribus, & cordibus appellans. Non est ergo, Domine Georgi, quod Lutherum accuses, quod verbum Dei opposuerit, totius mundi, Diabolorum & organorum ipsius iudicio. Non vera Dei, sed tantum Romanae Ecclesiae consensum repudiauit. Act. 7.

Quod ad Scriptores Ecclesiasticos attinet, non ignoras, si legisti, quid D. Augustinus, cum de suis, tum de aliorum Patrum scriptis, senserit, qua eorum sit authoritas, & quatenus ea prober, nempe, quantum cum Sacra Scriptura consentiunt, & ex hac sua probent: aliam nullius vult teneri authoritate. Talis, inquit, ego sum in le- August. Epist. III.   
 Etione aliorum: tales volo esse intellectores meorum. Non ergo hoc nomine damnandus à te erat Lutherus.

Obiecit Luthero, eiusq; affectis Canonicus, impudentem vanitatem & in maximis rebus inconstantiam, vnde res eò redierit, vt Fol. 32.   
 ferè tot inter eos sine secta, quot homines. Et alia quae sequuntur, “   
 E . dum

„ dum addit : Nam cum temulentus ille Monachus toties muravit  
 „ sua paradoxa. Sapius enim ad scribendum accessit, antequam cras-  
 „ lam exhalauerat.

Bona verba quaeso: possem tibi opponere Eckium. Et, si conui-  
 tijs tecum certarem, responderem stulto secundum stultitiam suam.  
 Sed nihil proficitur hoc modo. Ideoq; mihi ipsi imperavi, ne conuiuijs  
 agam. Lutherum itaq; quod attinet, eiusq; personam, scio eum à te-  
 mulentia fuisse alienum. Ideoq; mendacia ab hostibus sparsa, mini-  
 me curanda. Audiuit hoc nomine male Christus ipse Saluator, omni-  
 um virtutum exemplar absolutissimum. Quid igitur mirum, si hoc  
 ipsum Ministro eius fideli acciderit. Si Patrem familias vocau-  
 runt Beelzebub &c. Quod si in iudicio causa tibi agenda esset, qui-  
 bus hac testibus probaturus eras, nisi hostibus? quibus fides non est  
 habenda. Alij boni & fide digni, aliter de ipso scripserunt & testati  
 sunt. Quod deinde inconstantiae in doctrina arguitur, facilius hoc di-  
 citur, quàm probatur, & supra de hoc conuictio responsum est. Ad se-  
 ctas quod attinet, culpam hanc tam praestare non possumus, quàm  
 Apostoli, qui conqueruntur de sectis, quae parim exorta sunt, parim  
 exorturae ex ipsorum auditoribus.

Act. 20.  
 1. Iohan. 2.

Et per Dei gratiam, sectae istae nostro tempore exorta, iam Ec-  
 clestiarum Germania iudicio ex verbo Dei dijudicatae sunt, ut Dei  
 beneficio inter nos non sint amplius sectae, sed mediocri consensu.  
 Et nunquam tam bene cum Ecclesia actum est, ut nulla fuerint se-  
 ctæ, nullae haereses. Ita ut valde rerum Ecclesiasticarum imperi-  
 tum esse necesse sit, haec qui ignoret. Enumerat D. Augustinus 88.  
 Haereses. Quot Epiphanius? Quot Philastrius? & alij. Eas nuntia  
 & exprobres Ecclesiae sectas & haereses.

Cumq; adeo oculus sis, Domine Georgi in nostrae Ecclesiae vi-  
 tijs obseruandis: Quaeso te mi homo, enumeres mihi sectas Monasti-  
 cas Papatus, & in quot Sectas saltem Francisci secta sit dissecta?  
 Ordines vos vocatis, quibus tamen nihil minus est ordinatum, si se-  
 cundum

eundem Scripturam sacram, de illis, vt decet, iudicare voluerimus. Quamobrem tacere in posterum de his & alijs tibi licet: Sed non tacebis, sat scio. Cum enim ad dicendum sis instructus, & sicut Helius Iob. 42. Buzites, plenus sis sermonibus, & coarctet te Spiritus vteri tui, & venter tuus quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Loqueris igitur & scribes, quarenda tibi via est, qua te quoq; tollere humo possis, & alta volitare per ora virum & alia aucupanda. Ac facile grandiloquentia, seu potius inani verborum garrulitate te tuis ad quos nostris scriptis via est preclusa, quiduis persuasurum confidis: sed prudentes, verba sibi dari non patiuntur.

Absurditatem ab infausto Lutheri Pseudoeuangelio absterrere debuisse, ait, nisi voluptatum hamo & libertatis delicijs capti fuissent. Sicut hic Canonicus minas spirat, sanguinemq; nostrum sicut quemadmodum addit, se mirari, quod Principes Germaniæ non de nostris supplicium sumpserint, quod Lutherani damnent omnes Maiores nostros. Fol. 33.

Hinc initio apparet, cuius Spiritus filij sicis crudelissimi sanguisuga, nempe Spiritus homicidij & mendacij, cuius opera facitis. Implete ergo mensuram Patrum vestrorum, quem Prophetarum non occiderunt Patres vestri? Fol. 34.

Quæro autem, quænam ista absurda? Nulla refert: sed satis est oratori graui in folio suæ Maiestatis, & pro tribunali sedenti, dixisse, absurdam esse Lutheri doctrinam, & statim Asinis annuendam auribus. Sicut Pythagora discipulis autoritas Magistri etiam nulla addita ratione, sufficiebat, αὐτὸς ἔφη. Sed nondum hanc Roma attulisti auctoritatem, vt tibi quiduis dicenti, fides à nobis habeatur. Nec Lutherus sua doctrina voluptatibus indulgendum docuit. Quod sic carnalia respicias, quàm exoptata est apud vos Canonicos, aliosq; sacrificulos occasio & licentia? Quæ voluptates, quæ libertas, quæ delicia: nō ignoras, sed optime scis et Romæ vidisti. Quæ si capearent nostri, nusquā nisi ad vos transfugerēt, qui his omnib; abundatis.

Apud nos satis amara est voluptas, quod nostri sub iurisdictione vestra viuentes, ingenti cum dolore, & iactura fortunarum suarum, adeoq; vitæ cum periculo experiuntur quotidie. Sicut & anno 1527. Leonhardus Keiser, Bauarus Sacerdos, in consistorio Patavino vestro, propter confessionem veræ & synceræ doctrinæ cælestis, condemnatus hæreseos Lutheranae, Scherdingæ 16. Augusti exustus est, cuius sanguis à vobis requiretur, ut & Abelis: Et quotidie plurimi passim à vestratibus in exilium pelluntur, alij fortunis suis exiuntur, alij aliàs miserè tractantur, proscribuntur, exuruntur &c. Hæc scilicet nostrorum sunt delicia.

Deinde hoc sibi probandum esset, Canonice, nos Lutheranos damnare omnes Maiores nostros: quibus testibus id esses factururus, miror, & valde dubito. Nam Sophistica tua collectione, & inani loquacitate, nihil proficies. Non inficiamur quidem eam fuisse sub Papatu, tyrannide Pontificia, idolomania turpissima, & plus quam Ethnicat, æmpera periculosa, de quibus Christus est vaticinatus, ut si possibilis fuisset, in errorem etiam inducti essent electi. Sed tamen credimus, Deum Patrem Liberatoris nostri Iesu Christi, semper etiam sub Papatu, sicut temporibus Helia, quibus publicè idololatria in toto regno Israel prostabat, abrogato vero Dei cultu & occisis prophetis, Dominum tamen semper sibi septem seruassee millia, qui genua sua non curuauerunt Baal. Multos etiam in fine vitæ abiectæ operum fiducia, merito Christi mixos, esse saluatos.

Fol. 35.

» Echopœia etiam vitur: Quod si, inquit, Heroes, Carolos, Fredericos, Henricos &c. ad vitam redire contingeret, quibus quæso  
» verbis, Illustrissime Princeps presentes Patriæ nostræ Principes,  
» allocuturos existimas?

Respondeo melius & verius, quam tu. Quibus, verbis prædicaturi & gratulari sibi, suisq; posteris, præsentem felicitatem, lucem verbi diuini, liberationem Ecclesiæ ex captiuitate Babylonica & tyrannide Pontificum Rom. qui colla optimorum istorum Imperatorum  
suis

suis pedibus & unguibus Diabolicis, indignissimè Dei in terris vicarios tractantes, calcauerunt? Et miseram suam tum, cum in viuis essent, sortem deploraturi: Iam iam tempus esse, dicturi, opportunum, quo presentis vitæ usura fruerentur: Iam se Antichristum depulsuros &c. Nec vanam hanc à me confictam esse coniecturam, domestico tibi demonstrabo exemplo.

Ludouicus 4. Bavarus, tuæ patriæ olim Dominus, de Papa, quem magna pompa iuste, tãquam Lupum iam olim in comitijs Romæ damnauit, de gradu & solio Maiestatis propter tyrannidem inorabilem, & impietatem summam, publico Imperij decreto deiecit, de quo circa finem copiosius sum dicturus, ne sit tibi mora molestia interea.

Istis subiungit: Quia verò reuiuiscere illis non licet, Ecclesiam Fol. 36. certè concionantem audire deberent. Quam Ecclesiam? Pontificiam? errorum matrem: Deum, sacra omnia, cælum denique ipsum “ venalia habentem? Sicut Monachus Mantuanus ante Lutherum cecinit:

Petrique domus polluta; fluente  
Marcescit luxu. Nulla hic arcana reuelo. &c.  
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis  
Seruit, honorandæ Diuûm Ganymedibus ædes. &c.

Romæ, omnia sacra,  
venalia. Deus ipse,

Venalia nobis  
Templa, Sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,  
Ignes, Thura, cælum est venale, Deusque.

Et ante hunc Franciscus Petrarca, Florentinus, Archidiaconus Parmæ, & Canonicus Patavinus, Romanam Ecclesiam, Errorum scholam, & Hæreseos templum nominauit, & Babylonem. Famosa, inquit, dicam, an infamis meretrix, fornicata cum Regibus terræ. Illa quidem ipsa es, quam in Spiritu, Sacer vidit Euangelista, illa inquam eadem es, non alia, sedens super aquas multas &c. Et Papam Antichristum vocat.

Franciscus Petrarca  
in suis Epistolis.

*Apaga sis igitur in malam rem, cum vana & garrula tua loquacitate, Rhetorcule. Hos ne audiremus fidei Magistros & Doctores? Absit, absit à nobis.*

Fol. 27. „ *Sed hic ex nobis querit Canonicus: Quomodo cum promissionibus Christi Ecclesiæ suæ factis conveniat, quod nos de tenebris Papatus dicimus? Annon cernis, inquit, vos humani generis, saluti auctori, gravissimi mendacij notam inurere?*

Papatus miracula. *Facilis est & expedita, minimoq; operosa responsio. Verum enim est utrumq;: promisit Deus suam præsentiam Ecclesiæ. Sed idem etiam de tenebris subscurus est vaticinatus: surgent (inquit) Pseudoprophetae & dabunt signa & prodigia magna, & seducent multos, ita ut si possibile esset, in errorem inducantur etiam electi. Ecce prædixi vobis. Ideo promissiones istæ Ecclesiæ factæ, non ad quemvis cæcum pertinent, sed audientibus & sequentibus verbum Dei datæ, & quam diu illud sequuntur: Quare nihil ad Papisticam Ecclesiam. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem. Quia igitur Romani Pontifices, neglecto Evangelio Christi, suas leges, humanas traditiones & cultus de ingenio suo excogitauerunt, quod in præcedentibus est demonstratum, & repulerunt scientiam: ideo repulit eos Dominus, ne Sacerdotio fungantur ipsi. Et oblita es legis tui Dei (inquit Propheta) obliuiscar filiorum tuorum & ego. Et quemadmodum idem Propheta de abiectioe Synagogæ est vaticinatus, & præcepit Apostolis: Iudicate, inquit, iudicate matrem vestram, quia ipsa non est vxor mea, & ego non sum maritus eius: ita nobis Antichristiana Ecclesia, non solum deserenda fuit, sed & iudicanda & damnanda. Auferat, inquit Dominus, fornicationes suas à facie sua. &c.*

Fol. 58. „ *Querit amplius ex me, quo tempore Pontificia Ecclesia, veritatis Magistra, columna diuina doctrina (scilicet) & quibus in rebus errare cæperit & lapsa sit?*

Ad hanc questionem aliquid respondet Egesippus, qui circa annum Domini 150. Romam venit, & scripsit: Quòd vsq; ad illa tempora, Virgo munda, & immaculata permansit Ecclesia, corruptoribus veritatis, & diuini verbi temeratoribus, aut nusquã omnino extantibus: aut etiam si qui forte fuerant, in occultis & abditis hiatibus terra delitescerentibus. Vt verò & Apostolorum chorus & omnis illa ætas, quæ à Domino suscepit vocis viuæ auditum, de hac luce discessit, tum velut in vacuam domum, falsæ doctrinæ impius se error immerfit, & tanquam, vbi nullus iam diuini census defensor existeret, nudato (vt aiunt) capite corripientes arma mendacij, oppugnare Apostolicam veritatem nituntur. Sed illud bellum intrinsecus gerebatur.

Ego autè respondeo amplius, & quidem aperte: non vno momento simul & semel defectionem à veritate in Ecclesia Romana factã, sed paulatim irrepsisse errores, & cum Apostolo dico, quod tum in Mysterio operata sit iniquitas, & paulatim serpsisse, atq; cuniculos egisse, incrementa sumpsisse, & latius progressos, dum semper Episcopi Romani aliquid addiderunt Religioni, & noui statuerunt, inq; Ecclesiam Dei inuexerunt. Quemadmodum Augustinus iustam de multitudine humanarum traditionum suo etiamnũ tempore, querelam instituit. Quod vel sola Missa Pontificiæ, quæ neruus est regni Pontificij, docet historia, in qua exornanda non secus ac Pandora Hesiodica, diu multumq; Episcopi Romani fuerunt occupati, & laborauerunt, singuli ferè aliquid additamenti, sicut in pallijs mendicorum fieri consuevit, lacinijs semper affutis varijs, conferentes, donec illa ita exornata tandem prodijt. Idem factum est de Monarchia Romanorum Pontificum: qui suam semper auxerunt potentiam & Iurisdictionem etiam crimine falsi admissi, donec Bonifacius III. à Phoca Cæsaricida, Monarcha & Dominus Ecclesiæ ac vniuersalis Episcopus esse factus (quod vocabulum antecessor eius Gregorius I. superbum & Antichristianum appellauit) de cuius potentia, sicut & de erroribus nouis Papatus

Hist. Eccl. Euseb.  
lib. 3. cap. 32. Vide  
etiam lib. 4. cap. 22.  
ibidem.



in precedentibus satis superq̄, & plus, quàm vellent isti, dictum est. Vide Lector vel solum Polydorum Virgilium de rerum inuenoribus, & videbis: unde, à quibus, & quando, pleraq̄ Papatus sint excogitata.

2. Theff. 2.

Et tamen interim Dei vera Ecclesia, quæ est Electorum, de qua & in Symbolo Apostolorum dicitur: Credo Ecclesiam sanctam: non est collapsa, sed permansit semper firmiter & inconcussa, quia fundata est super firmam Petram, contra quam ne porta quidem inferorum sunt præualitura. Sed in templo hoc Dei, hoc est Ecclesia vera, sedit Antichristus, tenens eius gubernacula, cum tamen ipse cum suis, nec Ecclesia Dei, sed Diaboli Synagoga: nec Antichristus cum suis propugnatoribus viua Ecclesie Christi membra sint, sed tanquam tyrannus Arctolycus, Antichristus, imò ipse Diabolus sedem istam occupat. Sicut Papatum illorum quidam in feudum à Cacodæmone acceperunt, cui se, pacti certos annos, tradiderunt.

Fol. 37.

Quod igitur ad propositum (vt ipsemet scribit) reuersus, negat  
 1. vlli vnquam, principia ista Papistarum, Catholicorum à Luthero  
 2. nominata, traditiones nempe, & Pontificem Romanum à Luthero  
 3. somnium in mentem venisse: verba non sufficiunt, vbi re opus est.  
 Nam & fures negare solent, donec suspendantur. Demonstramus enim & luce meridiana manifestius fecimus, reuera ista esse Romanensium principia. Et quid tergiver saris Georgi, negans, vt alia taceam, traditiones à Catholicis inter principia vel fundamenta poni, cum Concilium Tridentinum in saluo conductu nobis Protestantibus dato, inter probationum fundamenta, secundo loco numeret Traditiones? Vel ergo Patres illi Catholici non fuere, vel ipsorum veritati consentanea scripsisti.

ANNO 52. Ian. 25.

Fol. 39.

Sed iam alia ipse Ecclesia suæ fundamenta vel principia quatuor ponit, quæ qualia sint, quantum momenti habeant, quamquam verè illa ponat, ordine consideremus.

Pri

Primum, inquit, verbum Dei, hoc est, augustissima Prophetarum, Evangelistarum, & Apostolorum oracula, quae vulgo vno verbo vocantur Biblia. Hac ita simpliciter ponit, Biblia nominans, ut solum imperitis faciat. Sed quid nomine Bibliorum veniat, Concilium Tridentinum explicat. Postquam enim in specie inter Canonicos enumerasset etiam Apocryphos omnes, non hoc contentum, addit postea coronidis loco: Si quis autem libros istos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, & Traditiones praedictas, sciens & prudens contempserit, Anathema sit.

Cuius quæso Prophetæ, Evangelistæ aut Apostoli, sunt partes, Danieli, de Bele & Dracone additæ, quas Hieronymus appellat fabulas? Cuius item libri Macchabæorum? ut reliquos taceam. Sed his fouetur ignis purgatorius, & sacrificium Missæ pro defunctis confirmatur: qui sunt articuli fidei Ecclesie Romanæ, maxime salutares, & apprimè vitales. Ideoq; libri isti in Canonem redigendi, quo Scripturis Canonicis (scilicet) contra hereticos, Lutheranos confirmari possint. Hoc principium & fundamentum est Papiasticæ Ecclesie firmissimum. Quis autem vobis Papiasticus ius & potestatem dedit, ex non solum apocryphis, sed etiã fabulis, Canonicas facere scripturas? Quid verò quæris Heretice Lutherane? An ignoras Ecclesie Romanæ auctoritatem, à qua scriptura suam quam habet, accipit: qua si destitueretur, tantum valeat, quantum Aesopi fabulæ. Abi ita & quare amplius: & nega Papiastas Biblia habere pro fundamento.

Secundum principium Ecclesie Papiasticæ est, Diuinarum Scripturarum communis & orthodoxus sensus, siue intelligentia, quæ ab Apostolis profecta, per continuos eorum successores, ad nos usq; dimanauit. Et quod aut omnium, aut præcipuorum Patrum consensus approbat, id tanquam à numine profectum & dictatum, & custodit Ecclesia. Et hunc Patrum consensum viva voce traditum

traditum, scriptura equiparant, quia ab eodē auctore proueniat, &  
 eadem sit vtrouiq; veritas, idem Dei verbum, hinc fieri, vt hæc Pa-  
 trum Traditio vocari sæpè soleat τὸ ἀρχαῖον, respectu textus scri-  
 pturæ τὸ ἑγγράφον.

Ad postremum, vt primò respondeam: ne eius me capiat obli-  
 uio, dico: Quid scripserint Propheeta, Euangelista, & Apostoli, ha-  
 bemus Dei beneficio: quid viua voce tradiderint, dubitare non pos-  
 sumus: quin planè idem docuerint, nō alia. Et ex scriptura sacra di-  
 iudicandas controuersias ipsimet Patres volunt, quòd prolixè mihi  
 testimonijs demonstrare possem. Sed illis posthabitis vnicum ex  
 primo vniuersali Cōcilio Niceno libet adscribere: vbi Biblijs in me-  
 dio positis, Cōstantinus pijs. Imperator dixit: Euangelici libri sunt  
 & Apostolici, antiquorumq; Prophetarum sanctiones, quæ nos eru-  
 diunt, quid de sacra lege sapiamus. Expellentes igitur hostile certa-  
 men, ex verbis diuinitus inspiratis, solutionem questionum mente  
 percipiamus. De sensu igitur & interpretatione Scripturæ quòd  
 multa garrunt plausibiliter aduersarij, quòd viua voce per Aposto-  
 los successoribus sit inspiratus, nugæ sunt & fabulæ: quòd videlicet à  
 Patribus sit descriptus, hinc ad ipsos successione continua dimana-  
 uerit. An non poterant Episcopi ex vniuersali Ecclesia collecti sen-  
 sum & mentem Spiritus sancti ab Apostolis per successionem pro-  
 fectam explicare? Quemadmodū frater Petrus à Soto scripsit: Di-  
 cimus apertè, in dubijs fidei proximos, ad quos statim eundem esse  
 Episcopos esse, & earum Concilia. Isti consensum Patrum inquiren-  
 tes, ex illo traditionem agnoscunt, ex qua Scripturam interpretan-  
 tur & explicant. In his nihil incertum, aut confusum est, C V M  
 SCRIPTURA EST AMBIGVA, nec explicata, Tra-  
 ditio quærenda est.

Hæc quidem sic dicuntur ab istis, sed nihil probatur. Non  
 enim sicut regna & hereditates à parentibus ad liberos proueniunt,  
 & propagantur: Sic Scripturæ quoq; sacræ sensus. Quod igitur ad  
 viua

uiuam Apostolorum vocem & predicationem atinet, qua Scriptura sensum tradiderint, sciendum est, non aliud illos Ecclesijs predicasse voce uiua, qua sensum & voluntatem Dei ac Spiritus sancti mentem explicarent & traderent: aliud verò scripsisse, obscurum scilicet, dubium & ambiguum, atq; incertum, quod ex illa uiue vocis traditione explicandum esset. Quæ non absq; horrenda blasphemia Spiritus sancti, qui hæc illis dictauit, dici possunt ab aduersarijs, & hostibus Scripturæ sacræ: quos libros mallent omnes perisse. Sed id Euangelium, quod præconauerunt, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ, inquit Irenæus.

Ire. lib. 3. cap. 6

Audis, Domine Canonice, Scripturam esse fundamentum fidei nostræ: Nec aliud uiua voce docuisse Apostolos, aliud scripsisse. Hoc quidem verum est. Scripturam sacram non modo obscuram esse de noua Pontificiorum Religione, de qua supra: sed etiam plantam mutam. Ideoq; ad traditiones isti confugiunt, sed non Apostolicas, verum humanas. Et sanè res mira est.

Christus nos ad Mosen & Prophetas remittit. Similiter & Apostolos suos audiri præcepit. Hi nobis perpetuò adhuc loquuntur in suis scriptis. Ad quæ & Patres ipsi à se nos remittunt, & scripturas non ex Patribus, sed per Scripturas interpretandas docent. Sic enim (vt Augustini plurima & pulcherrima in hanc sententiam dicta, iam omitam) Basilius habet: Si verò præceptum nobis datum fuerit (in scriptura) quomodo autem, additum non fuerit: assumamus Dominum, dicentem: perscrutamini Scripturas. Et initemur Apostolos, qui ipsum Dominum interrogauerunt de interpretatione eorum, quæ ab ipso dicta fuerant, & eorum, quæ ab ipso dicta sunt, ex his, quæ in alio loco dicta sunt, veritatem ac salutare discamus.

Basil. lib. 2. de Baptis. quæst. 4.

Contra, Canonicus à scripturis, primum in mare magnum & vastum, Patres scilicet, nos mittit, qui maioribus donis, quam Apostoli instructi (si credere fas est) clarius omnia exposuerunt. Quàm infeliciter cesserit hoc studiu, mex Magistro sententiarum apparet, qui Patrum sententias collegit, & pugnantes conciliare studuit. Concordantia deinde discordantium. Hinc Sententiariorum plaustra & infelix Scholastica Theologia, neglectis Biblijs, doctissimi quiq; istis spinosis disputationibus, suère occupati. Et sic de hominum opinionibus certatum.

Cusanus Cardinalis:  
Epistola 2. de usu  
communions.

Deinde qualis fuerit Scripturæ interpretatio, per prudentes quouis tempore Episcopos & Doctores, audire præstat inter præcipuos vnum, quàm me dicere: Cardinalem nempe Cusanum. Certe, inquit, hoc te non moueat, quòd diuersis temporibus alius atq; alius ritus sacrificiorum, & etiam Sacramentorum, stante veritate inuenitur: Scripturasq; esse ad tempus accommodatas & variè intellectas, ita vt vno tempore, secundum currentem vniuersalem ritum exponerentur mutato ritu, iterum sententia mutaretur. Et mox: Etiam si hodie alia fuerit interpretatio Ecclesiæ, eiusdem præcepti Evangelici, quàm olim: tamen hic sensus nunc in usu currentis, ad regimen Ecclesiæ inspiratus vti tempori congruens, vt salutis viam debet acceptari. Et iterum. Vnde scripturæ de bene esse regimini Ecclesiæ etiam incæptæ & continuatæ, NEQVA QVAM DE ESSENTIA existere possunt.

Idem Epistola. 3.

Arbitraria potestas Ecclesiæ &c. secundum locum & tempus iudicium variando. Et mox: postea mutato iudicio Ecclesiæ, mutatum est & Dei iudicium.

Epistola. 71.

Item non est litera, quæ per tyrannū penitus deleri posset, de essentia Ecclesiæ, sed Spiritus est, qui viuificat (scilicet qui est in Cardinalibus) Quare nec mirum, si praxis Ecclesiæ vno tempore interpretatur scripturam vno modo, & alio tempore alio modo.

Ideo nunc mutato per Ecclesiam Sacramento (de hoc enim ego

egit Cardinalis iste contra Bohemos) Deus approbat vnā speciem. Et hic sensus fuit & est, ac mens, & Spiritus Apostolorum, quem scilicet viua voce tradiderunt suis auditoribus. Non moueat autem te, quicquid scripserint, cum vna sit veritas, idem Dei verbum, scriptum & non scriptum. Recte igitur concludit secundum suā Ecclesie fundamentum Canonicus: Falsò, inquit, nos accu-  
sant, & traducunt Aduersarij, quòd præter Dei verbum (quod du-  
plex faciunt Scriptum & non Scriptum, quorum vtrumque ad  
pietatem parem vim habeat) velimus humanas traditiones, Dei  
verbo aduersantes, iudicem dirimendis controuersijs constituere:  
Hactenus ille. Quod facile præcedenti exemplo de Eucharistia  
planum fieri & demonstrari potest. Sicut quidam illorum contra  
me scripsit. In cœna Domini, non posse Laicis calicem administrari,  
propter Ecclesie CONTRARIAM dispositionem.

Sed aliud hîc latet sub integumento Traditionis, qua facta sit  
viua voce Apostolorum: quod nempe omnia, quacunque habet Pa-  
patas, que in Scriptura Sacra non extant, ad Apostolos Authores  
referunt, dicentes, Apostolicas esse Traditiones, ab Apostolis viua  
voce Ecclesie traditas. Sicut supra ex Petro à Soto audiuius,  
de quinque Sacramentis Papisticis: que cum in Scriptura non sint,  
necesse sit Apostolicæ esse traditionis. Ideo Concilium Tridentinū  
decreuit, Traditiones parem vim cum Scriptura ad pietatem ha-  
bere. Hoc Principio posito (si concedatur) iam omnia sua probaue-  
runt, quacunque Scripturæ testimonijs destituuntur ab Apostolis  
(scilicet) viua voce tradita. Ideo non minorem vim ad pietatem  
habere, quàm ipsas Scripturas s. Verum hæc non ab Apostolis sed  
Apostatis sunt tradita, & in Ecclesiam inuenta: Et sic Religionis  
Christiana sinceritas, humanis figmentis est corrupta. Ideoq; hoc  
nullius momenti est fundamentum.

Tertium principium est ordinaria in sede Episcoporum suc-  
cessio. Eundem Scripturarum sensum in singulis Episcopis semper  
fuisse,

Das ist allert  
zu gros gespume  
der Teufel sey  
Päpstsich mit die  
ser wuß.

Fol. 40.

Gregorius de Valen-  
tia Tractatu de  
Missa.

Fol. 40. 41.

20 fuisse, & nunc esse, qui in Apostolis fuerit, demonstrari posse, eadem  
 21 fidei dogmata asserit.

Quanta, hæc istius hominis impudentia? Sed respondeo breuiter: Non vnâ cum locis propagatur sensus genuinus Scripturæ, nec in mitris Episcopalibus Spiritus sanctus tenetur captiuus. In Ecclesia Antiochena Petrus fuit Episcopus: sed in eadem postea successit Paulus Samosatenus Hereticus. Attendis Petrum, & Iudam considera. Sic in Romana sede Hereticos, & Apostatas. Sicut Honorius Papa in sexta Constantinopolitana Synodo generali est anathematizatus, Scripta q̄ eius igni excusta. Et similiter alij. Et quod ad rem ipsam attinet, successio ista in loco, res est carnalis, præsertim in nouo Testamento, ex qua Ecclesia probari non potest. Qui non ex sanguinibus (inquit Apostolus) neq̄ ex voluntate carnis, neq̄ ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et vt ad præcedentia respondeamus, successio, in doctrina consistit Apostolorum. Edificari (ait Paulus) super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, hoc est, doctrinam eorum de Christo.

Iohan. 1.

Ephes. 2.

Sicut manifestè falsum est, quod sesquipedalibus verbis chrisonicè gloriatur Canonicus, se eadem credere, quæ olim vetus Ecclesia, in qua Apostoli & eorum discipuli floruerunt. Nam vt breuitatis causa multa, imò plurima prætereamus, in quibus Pontificia Ecclesia hodie dissentit ab Apostolica, quod facta collatione doctrinæ vtriusq̄, facile demonstrari posset, nimis foret prolixum: Dic mihi Georgi, Apostoli ne, vel ipsi, Patriarchas, Angelos, & in Ecclesia vel veteris, vel noui Testamenti, piè defunctos, innocauerunt (puta D. Stephanum Protomartyrem) vel seipfos innocandos docuerunt? qui iam est præcipuus cultus, quo maxime vestra occupatur Ecclesia? Nunquam hoc affirmare (quantumuis impudens & temerarius) audebis. Adhæc, num Cæna Dominicæ mutilationem Apostoli, vel eorum discipuli in primitiua Ecclesia docuerunt? Contrarium eius habes, 1. Cor. 11. vbi Apostolus Ecclesiæ Corinthe

rinthiorum, in qua plurimi erant Laici, scribit, se ita à Domino accepisse, sicut tradiderit eis. Et disere è calicis facit mentionem, quod similiter alij Apostoli, & Euangelistæ scripserunt.

Quàm pulchrè ergo vobis  $\pi\alpha\sigma\tau\eta\sigma\tau\alpha\delta\epsilon\pi\tau\alpha\sigma\tau\alpha\delta\epsilon\pi\tau\alpha\sigma\tau\alpha\delta\epsilon$  conuenit cum Apostolis & eorum discipulis? Quod ipsum etiam vestri maiores, sues calicis (Patres Concilij Constantiensis) fatentur, cum veritatis euidencia conuicti, vltro fatentur & scribunt: Quòd licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub verag, specie, panis & vini, hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante, &c. à Laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur.

Concil. Const.  
Sess. 13.

Præterea, An non Apostolus Paulus vult, vt Episcopus, similiter & Diaconus sit vnus vxoris maritus? An non in veteri Ecclesia, in qua Apostolorum discipuli floruerunt, Ministri Ecclesie, non solum Diaconi & Presbyteri, verùm etiam Episcopi mul-

ti, ipso Episcopatus tempore, & ipsi Episcopali munere fungentes, in Episcopalibus adibus, liberos multos, ex legitimis coniugibus susceperunt? vt refert Historia Ecclesiastica, cuius hæc sunt verba,

Hist. Eccles. Socrate  
lib. 5. cap. 22.

quæ modò recensuimus. Et distinctione 56. recensentur Romani Pontifices plurimi ex Sacerdotum coniugijs procreati, ab anno 423. vsq; ad annum 950. Et Gratianus c. Cenomanense, dicit: Non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugibus nati, quæ Sacerdotibus ante prohibitionem (dæmoniorũ, 1. Timoth. 4.) vbiq; licita erant. Et in Orientali Ecclesia vsq; hodie licere eis probantur.

Iam quoq; suscipiunt liberos, sed ex fornicatione & concubinis: proh pudor.

Similiter 26. q. 2. c. Sors. Copula Sacerdotalis nec legali, nec Evangelica, nec Apostolica auctoritate prohibetur: Ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur. Si nulla istarũ lege, ergò à Diabolo profecta, 1. Ti. 4. docentes doctrinas dæmoniorũ, prohibentũ nubere.

Nimis foret prolixũ de Missa Pontificia dicere, quib. auctoribus Pandora ista fuerit exornata, & quando in Ecclesiã introducta. Cũ

Greg. Magnus.

sateantur rerum Scriptores, quod suprà quoq; dictũ est, Petrũ sola oratione Dominica consecrassè. Platina: Nuda hæc erant primo

Platina in vita  
Sixti I.



& omnia simpliciter tractabantur. Petrus enim ubi consecrauerat, oratione, Pater noster, est usus. Et tamen omnia, quaecunque faciunt, credunt, hodie in Ecclesia Papistica, minime Apostolorum Ecclesie fuisse ignota scilicet, scribere non verentur. Quod si tu me Georgi, in tam manifesto deprahenderes mendacio: quos non de me triumphos acturus esses? Quas non exclamaciones additurus? Io paan exclamares, vici, vici, vici, constrictum te tenec, elabi non poteris, &c.

Fol. 41.

„ Miserè vero Confessionem nostram Augustanam exagitat,  
 „ priuata Hereticorum commenta vocans, Patres illam ignorasse,  
 „ Nec vnquam receptam, &c.

Respondeo. Etsi non hac verborum forma, vel hoc ordine antea fuerit conscripta: tamen cum firma habeat Scriptura S. testimonia, ex eisq; sic exstructa, quod per Articulos singulos probari potest, si ita necessitas postularet, quod & statim in Apologia factum est, quam etsi arrodere & allatere sint conati Pontificij: firma semper hadenus contra latratus vestros multiplices manet, & manebit, contra etiam omnes inferorum portas, quia verbo Dei munita. Vnde posteaquam in comitijs Augustanis fuisse exhibitam Imperatori Carolo V. omnibusq; Imperij ordinibus, eaq; confutata Pontificis Romani Satellitibus, inter quos & Eccius fuit, columna tunc Papatus, esset tradita: adeo ridicula fuit confutatio & infirmitas nostris, quantumuis petentibus, urgentibusq; eam communicare (præ pudore) ausi non fuerint. Nos certè confessionis nostræ nec pudet, nec piget, nec pœnitet. Edico autem tibi, Canonice, quod nisi eam receperis, non habebis partem in regno cœlorum, sed in æternum damnaberis. Hoc adeo certum est, quàm certum est, Deum creasse cœlum & terram. Is etiam author est huius nostræ confessionis, qui & Symboli Niceni fuit, & est author. Hoc firmiter credas.

Fol. 42.

„ Fundamentum quartum Ecclesie ponit, vnitatem fidei, que in cania

tanta diuersitate apud nos non reperiatur. Ideoq; apud nos Ecclesiam esse, impossibile.

Respondeo. Vnitatem esse doctrinae verae & syncerae apud nos per Dei gratiam, qui Augustanam amplectuntur Confessionem, nisi cecus esset Canonicus, aut liuidis Concordiae formulam oculis intreretur, (quod faciunt hostes nostri) facile videret. Sed tollatur impius, inquit Propheta, ne videat gloriam Dei.

Turpe ergo est, horrendum, ingens Canonici mendacium, <sup>cc</sup> quod in margine addit: Apud Lutheranos, quos sunt homines, tot sunt <sup>cc</sup> sententiae & fides. Et quid te tantoperè iuuat mentiri? Sed hoc quoq; <sup>cc</sup> affirmo, nunquam tam benè cum rebus humanis, adeoque cum Ecclesia etiam, actum fuit, vt nulla fuerint Hereses, quod Apostolorum quoq; testantur tempora. Vbi varia exorta sunt Sectae & Hereses, quod nemo nisi impudentissimus negare poterit. Ex nobis, inquit Apostolus, exierunt. Quid? Ergone illi Ecclesia non fuerunt? Quis hoc affirmare audebit?

Et quod ad vnitatem attinet, non quæuis Deo grata est. Consentiant enim & latrones & fures, & seditiosi conspirant, sicut Pontifices, Scribae & Pharisei contra Christum. Similiter & idololatra, vt olim Regis Achab & Iesabelis, Propheta Baalita omnes erant vnanimes & consentientes. Sed vnitatis Ecclesiae, in vera fide <sup>Eph. 4.</sup> in Christum consistit. Hanc nos per Dei gratiam habere, verè affirmare possumus: Pontifices verò falsam, inferius prolixè probabimus.

Cum igitur iam demonstratum sit, Romanenses non habere Bibliam, & scriptam Canonica <sup>PURA</sup>: sed multa admixta Apocrypha, adeoq; fabulas, quæ loco verè Canonicorum librorum receperunt, illisq; equiparant, & assuere illis traditiones, figmenta, & somnia cerebri humani, eiusque interpretationem, quæ instar Prothei subinmutetur: Successio autem non consistat in loco, sed in doctrina Apo-

Apostolica, à qua isti plurimum deuiarunt, quod exemplis manifestis comprobatum est, nec fidei vera & saluifica unitatem retinuerint, de qua in sequentibus. Ideoq; Ecclesia vestra, his basibus & quae in te dependunt (Concilia, canones & ritus) non bene fulcitur, sicut

Fol. 43. " Georgius Canonicus iste gloriatur. Et rectè nos asserimus, quod demonstratum est, Pontificios hodie nihil serè præter hominum cõmentata sequi, & scripturae diuinæ nullam relinqui locum: vt frustra gloriectur, in templis suis Euangelia decantari, legi & explicari. Hoc enim modo Iudaei etiamnum hodie de Scriptura S. gloriari possunt, quod in Synagogis eorum libri Moysis, Prophetarum & Psalmi legantur & decantentur.

Et quod addit, non tam de Scriptura, quam de vero eius sensu

" sibi nobiscum, (quos Haereticos vocat) certamen esse in controuersijs Religionis: Cæcitati hoc suæ & malitiæ impucent. Nam quod & ad sensum & ad verba attinet, in multis tam sunt verag; clara & manifesta, vt Sol in meridie. Qualia sunt de vniuerso Dei per Christum inuocatione, de integri Sacramenti Cœnae Dominicæ vsu, de Coniugio Sacerdotum, sicut etiam de grauita hominis iustificatione, que fit per fidem in Christum, vt alia multa taceam. Et tamen de his nobiscum litigant, cum prorsus nihil pro suæ impiæ opinionis defensione, ex Scriptura S. afferre possint. Non ergo de scriptura, eiusus sensu, in multis, sed de opinionibus vestris præconceptis est certamen, quas vos vt maximè in Scriptura sacra nulla habeant fundamenta & testimonia, abijcere non vultis, sed mordicus retinetis. Quid igitur faciamus vobis? Hoc quod Christus de Scribis & Phariseis dixit: sinite illos, quia cæci sunt, & duces cæcorum: donec ambo in foueam cadatis. Quia enim dilectam veritatem non vultis recipere, vt saluemini: iusto fit Dei iudicio, vt in erroribus vestris pereatis.

2. Thefl. 2.

Fol. 44. " Porro quod Lutheri testimonium adducit Canonicus, quo scripsit, in & sub Papatu omne bonum Christianum, Scripturam Sacram, verum baptismum, verum Sacramentum altaris, clauis & Ca

& Catechismum fuisse, & inde ad nos deuenisse: adeò nos non differemur, vt si non sufficiunt ista augmenti loco addamus, etiam Ecclesiam veram, in & sub Papatu fuisse. Sed hinc non sequitur, (neq; Lutherus scripsit) ipsum Papatum, & Ecclesiam Romanam Dei esse Ecclesiam. Papatum enim à Diabolo fundatum esse docuit & probauit Lutherus, prolixo adito libro, cui titulum fecit: Contra Papatum Romanum, à Diabolo fundatum. Illa autem, quæ recensuit Lutherus bona, non sunt ipsius Papatus, sed Dei, Christi, & Ecclesie vera, quæ semper etiam sub Papatu Antichristiano, fuit, per ista bona Christiana seruata. Sicut & Apostolus Antichristum in templo (hoc est, Ecclesia Dei) sessurum ad eius gubernacula, est vaticinatus.

2. Theff. 2.

Nos, criminatur, Scripturas S. corrumpere, dum Canonicos libros pro arbitrio & libidine expungamus. Respondeo: Luculentam nobis facit iniuriam. Minimè enim Canonicos, sed iudicio, auctoritate, & testimonijs Ecclesie veteris & syncerioris, dubios, incertos, Apocryphos, imò fabulas ex Ecclesia, & numero verorum Canonicorum excludimus: negantes Ecclesiam eam habere auctoritatem, vt ex istis Canonicis faciat libros. Vnde enim certiora vos, post tot secula venientes, afferetis testimonia, quàm Ecclesia primitiua habuit, quæ nouit singulos illorum authores & vidit, & ab authoribus libros illos accepit. Sed vestris studetis compendijs, vt hinc deliria vestra confirmetis, quemadmodum & traditionibus, quod in precedentibus est demonstratum.

Fol. 45.

Postea prolixam subiicit declamationem, qua in nos inuehitur Rhetor, quod prætextu Scripturæ & Euangelij circumueniamus simplices, cum nostra causa, nullis veritatis præsidijs sed mexis imposturis & mendacijs nitatur, vt auctoritatem nobis conciliemus, proclamare exemplo Donatistarum, nos solos Scripturam niti &c. Resp. breuiter: Pura pura hæc esse Canonici mendacia. Nolumus

Fol. 46. 47.

nobis fidem haberi, nisi scripturae & testimonijs nostra probemus, Hoc vos facere non potestis. Ideo Scripturam obscuritatis, ambiguitatis, & imperfectionis arguitis, blasphemiam in Spiritum sanctum. Hanc materiam litis esse asseritis, non vocem iudicis. Quae causa fuit soluti Colloquij postremi Vormatiensis. Item opus esse traditionibus, quod de vestra Religione in Scriptura S. nihil extet, ut paulo ante probatum est.

- 22 Tandem, quod Deus bene vertat, ad rem venit, & persuadere  
 23 conatur: non conuenire inter Lutheranos, nec aliquid certi docere de  
 24 iustificatione: & Apologiam Confessionis Augustanae à Philippo scri-  
 25 ptam flagellat ac calumniatur: Sic à nobis traditam fidei iustitiam ut  
 26 nec iustitiam, nec fidei, nec operum ullam certam rationem attulerint.

Fol. 49.

Sententia & doctrina nostra, de iustificatione, certa, clara, & perspicua, sibiq; consentiens.

Ingens, horrendum, manifestum & palpabile hoc esse mendacium, res ipsa testatur & loquitur. Nam sicut in ipsa confessione Augustana (quae nostrae doctrinae symbolum est commune) clare & perspicue, & valde copiose Articulis 3. 4. 5. 6. 20. proponitur & reperitur Articulus iustificationis: Ita etiam in Apologia non semel, sed saepius reperitur, & ut copiosissime, sic etiam planissime, & quidem eisdem verbis explicatur.

Sic enim orditur: De iustificatione, in 4. 5. 6. & infra in articulo 20. Damnant nos (Pontificij in sua Confessione opposita) quod docemus, homines non propter sua merita, sed gratis propter Christum consequi remissionem peccatorum, fide in Christum. Et postea, Lex requirit à nobis opera nostra, & perfectionem nostram, sed promissio affert nobis oppressis peccato & morte, gratis reconciliationem propter Christum, quae accipitur non operibus, sed sola fide. Haec fides non affert ad Deum fiduciam propriorum meritorum, sed tantum fiduciam promissionis seu promissae misericordiae in Christo. Haec igitur fides specialis, qua credit unusquisq; sibi remitti peccata propter Christum, & Deum placatum & propitium esse propter Christum, consequitur remissionem peccatorum, & iustificat nos &c.

Deinde

Deinde addit analysin Philippus: hinc titulis, capitibusq; certis controuersiam de iustificatione copiose & perspicue explicat, & illustribus Scripturæ testimonijs confirmat.

1. Quid sit fides iustificans.
2. Quòd sola fides in Christum iustificet.
3. Quòd remissionem peccatorum sola fide in Christum consequamur.

Postea in loco de pœnitentia inquit: Prodeat nobis aliquis ex Aduersarijs, qui dicat, quomodo fiat remissio peccatorum? Bone Deus, quanta tenebræ? Item ibidem, sed quia aduersarij nominatim hoc damnant, quod dicimus: Homines fide consequi remissionem peccatorum, addemus paucas quasdam probationes, ex quibus intelligi poterit, remissionem peccatorum contingere non ex opere operato propter contritionem: sed fide illa speciali, qua vnusquisq; credit, sibi propter Christum remitti peccata. Et inter reliqua: Aduersarij nostri vociferantur, se esse Ecclesiam, se consensum Ecclesie sequi: At Petrus hic in nostra causa etiam allegat consensum Ecclesie: Huic, inquit, Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere in nomine eius, omnes, qui credunt in eum, &c. Et post. Et hanc sententiam, sciunt, à principio Mundi in Ecclesia extitisse apud Sanctos. Petrus enim clare allegat consensum Prophetarum, & Apostolorum Scripta testantur, eos idem sentire.

Nec desunt Patrum testimonia. Nam Bernhardus idem dicit verbis minimè obscuris. Necesse est enim primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde adhuc, vt credas & hoc: quod per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo dicens: dimissa sunt TIBI peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem, per fidem. Hactenus verba Philippi in Apologia.

Consensus Ecclesie  
omniū temporum,  
de fidei iustificatio-  
ne.

Sermone 1. in An-  
nunciat. B. Mariz.

Rom. 3.

Postea subiicitur doctrina de bonis operibus: ubi docetur, quae sint verè bona opera, cur sint faciendae, quomodo Deo placeant, & quid mereantur. Arbor enim bona, homo factus, bonos fructus profert, qui nec causa, nec pars sunt iustificationis, sed effectus consequens, qui nihil facit, ad constituendam rem aliquam, sed sequitur rem constitutam.

Hac nostra est vno verbo, consentiens doctrina de iustificatione gratuita per misericordiam Dei propter Christum fide apprehensum, minimè perplexa, obscura, aut dubia, vel incerta, quae nititur firmissimis Scripturae S. testimonijs. Via enim Domini recte sunt & plana & iusti ambulant in eis. Prauaricatores autem corruent in eis. Hac eadem doctrina & consensus repetitur in Libro Concordiae, his proximis annis edito: nempe, ut compendio & vno verbo proponamus: Hominem peccatorem gratuita Dei misericordia per & propter Christum sola fide apprehensum, sine operibus iustificari imputata Christi iustitia, quam legi exactissime praestitit. Hanc doctrinam nostri semper constanter retinuerunt: hanc eandem Lutherus inculcauit, & vixit semper, quod maximè fecit in prolixo suo super Epistolam ad Galatas commentario. Vbi in fine egregiam vestram ex operibus iustitiam quinquaginta ornat Epithetis & titulis ex Apostolo, eiusque verbis.

Ista ergo nostra verè facilis & expedita est iustitia per fidem comparandae summa, ex fidei analogia, & Scripturae S. medullis, & verbis & sententia sumpta. Hac concors omnium nostrum doctrina oppugnanda erat ab Aduersario, si (quod virum bonum decet) agere nobiscum voluisset. Sed non nisi plurimas spargit calumnias & mendacia, ut hanc nostram, imò Scripturae Sacrae doctrinam exosam reddat, apud eos, quibus nostra Scripta legere non conceditur, eosque in sua impietate retineat. Quod videlicet alij aliter senserint, docuerint, scripserint, Andreas Osiander, Schvuenckfeld, Georgius Maior, Anabaptista, &c. Sed quid ad nos isti? non possumus praestare aliorum culpam.

Rom. 3. 4.  
Gal. 2.

Philip. 3.

Quod

Quòd quidam dicunt, unam & eandem esse rationem iustificandi hominis rationis expertis & participis, non male dicitur, si dextrè accipiatur: scilicet omnes homines mera Dei gratia & misericordia per Christum fide apprehensum, iustificari & saluari, tam adultos, quam infantes: Quod Phariseis ineptum videtur ineptis.

Quòd verò Lutherum quoq; calumniatur: quòd ut Luna subinde suam mutauerit sententiam & infantes quoq; actualem habere fidem scripserit: Item pœnitentiam non esse necessariam ad iustificationem: Postea verò nullam esse remissionem absq; pœnitentia, &c. ea in re suo modo Canonicus nugatur.

In affectionibus contra Leonè X.

Nam quòd ad fidem paruulorum attinet, sic scripsit Lutherus. De Capt. Babyl. Opponetur forsitan ijs, quæ dicta sunt, Baptismus paruulorum, qui promissionem Dei non capiant, nec fidem Baptismi habere possint: Ideoq; aut non requiri fidem, aut paruulos frustra baptisari. Hic dico, quòd omnes dicunt, fide aliena paruulis succurri, illorum, qui offerunt eos. Sicut enim verbum Dei potens est, dum sonat, etiam impij cor immutare, quòd non minus est surdum & incapax, quam vllus paruulus. Ita per orationem Ecclesiæ offerentis & credentis, cui omnia possibilis sunt, & paruulus fide infusa mutatur, mundatur & renouatur.

Hic quid aliud Lutherus, quam Augustinus dicit? Dicimus August. Epist. 57. ergo, inquit, in Baptisatis paruulis, quamuis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim nesciunt, quamuis sit in eis, quemadmodum nesciunt, & mentem suam, &c. Habitare autem ideo & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, ut sint templum eius, id quòd postea perficit in proficientibus, & proficiendo perseverantibus. Et alibi idem iterum: Vbi ergo paruulos ponimus baptisatos, nisi inter fideles? Sicut vniuersa vbiq; clamat Ecclesiæ auctoritas: ergo inter eos, qui crediderunt. Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramenti & offerentem responsionem.

Idem de peccatorum meritis. lib. 1. ca. 31.

Non



Matth. 18.

Non ergo hoc vult Lutherus, quando dicitur: *infantes habere fidem, aut credere: quòd intelligant aut motus fidei sentiant: Sed rejicitur error illorum (vt habetur in Formula Concor dia: inter Theologos Saxonicos, & Germanie superioris, anno &c. 36. constituta) qui imaginantur, infantes baptisatos Deo placere, & saluos fieri, sine actione aliqua Spiritus Sancti, &c. Et de paruulis ad se allatis, Saluator pronunciauit, quòd in se credant: quòd absq; Spiritus S. actione fieri non potest.*

Fol. 51.  
In Assertionibus ar-  
xicularum contra  
Bullam Leonis X.

Quòd negauit Lutherus, *pœnitentiam ad iustificationem necessariam: disertè loquitur de pœnitentia Papistica, quæ secundum istos constat tribus partibus, contritione, confessione & satisfactio-  
ne: quæ istis altera Tabula post naufragium, qua homo peccatorum Deo redeat in gratiam, dicitur. Quæ tantum abest, vt iustificet, vt etiam damnet. Quia nulla fit Christi mentio, per quem solum nobis contingit gratia, Iohan. 1. Et hanc Papistarum pœnitentiam, negat Lutherus in Scriptura S. & antiquis Sanctis Doctõibus fundatam. Ideo cum idem alibi dicit: quòd nulla sit remissio absq; pœnitentia, non pugnat secum. Loquitur enim hic de vera & saluari pœnitentia, quæ fidem in Christum etiam completur. Malitia ergo est Diabolica, qua fucum facere & imponere incauto Lectori contra mentem Authoris studuit Canonicus, quasi Lutherus ipse sibi sit contrarius, secum pugnet ipse, & antilogias scripseris, & hoc modo nihil contra morsum Sycophantæ tutum.*

Fol. 52.

Sic prorsus nulla est Antilogia in verbis & sententia Philippi, qua docuit: *hominem peccatorem non realiter iustificari (quem admodum Pontificij fingunt, hominem nouis qualitibus infusus formaliter esse iustum, virtutibus suis inhaerentibus, sicut paries albedine est albus.) sed pronuciari & haberi iustum, peccato realiter in ipso permanente. Et cum asserit hominem per iustificationem verè Deo reconciliari, facta peccatorum remissione (in hac enim consistit iustificatio) eumq; nouis donis & muneribus à Deo donari.*

donari. Sequitur enim ordinè iustificationem renouatio, quæ tamen non est nostra coram Deo iustitia, quæ opponi iudicio eius possit. Sed vt rectè Lutherus inquit (quod etiam sugillat, & tanquam diuersam ab illo sententiam ponit) impium iustificandum ea iustitia, quæ Christi propria est (quam scilicet legi perfecta obedientia præstitit) fieri iustum, non tamen realiter, sed tantum imputatiuè. Quæ etiam sola vera est, in qua & Apostolus sola vult inueniri. In quibus prorsus nulla diuersitas. Ideo quod Lutherum scripsisse ait Canonicus: Iustificationis fundamentum esse voluisse Relationem, & minimum entitatis, hoc est, nihilum, non male dixit: sed verum est, non tamen simpliciter: sed quod ad nostras qualitates, habitus, & opera propria attinet, quæ non ingrediuntur articulum iustificationis: in qua sola fides (nò etiam opera) solum Christum propiciatorem, cum suis meritis, iustitia & obedientia, quam legi exactissimè præstitit, apprehendit: cuius Iustitia nobis imputatur & sit nostra, non secus, ac si nos ipsi eam præstitissemus.

Phil. 3.

Fol. 54.

Phil. 3.

Et ita non est nihil nostra iustitia, quæ nobis donatur & imputatur, nisi Christi iustitiam, nihil esse velit. Quod facitis Pontificij, vt vos Scribarum & Phariseorum veterum fratres & filios esse testatum faciatis, qui suam propriam operum volentes statuere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et hîc comperimus, verissimum esse, quod Lutherus ante annos quàm plurimos de hoc hominũ genere in quadam disputatione de fide, contra Satanam & Synagogam eius scripsit. Verba eius sunt: Summa, frustra disputatur cum Scholasticis, de his rebus (fide & iustificatione) sibi incognitis, & iniustitatis. Impossibile est apud illos intelligi, quid sit peccatum, promissio, fides, iustificatio, imputatio, Lex, & impletio eius: quod verissimum est. Mirum igitur non est, ab isto Canonico rideri hanc nostram doctrinam. Cæcus enim est, & mente captus, & calumniatorum se esse ostendit, qui Augustana confessione, quæ nostra doctrinæ symbolum est, Apologia eiusdem, etiã formula Concordiæ, in quibus

Rom. 10.

“ Lutheri iudicium  
“ de Pontificijs Do-  
“ ctoribus.

“

omnibus & singulis, doctrina nostra de iustificatione, copiose, perspicue, planè etiam & simpliciter esse explicata, malitiose omisis & neglectis, quia in his nihil, quod carpere iuste possit, reperit: hinc inde colligit & excerpit, ex eorum etiam scriptis, qui ad nos non pertinent, vel depravat & peruertit rectè dicta, alienum ab illorum mente & verbis etiã, sensum affingit, quasi inter se pugnent: qua nobis opponit. Frustra ergo & pueriliter nos ridet, subsannat, exclamans

Fol. 58.

” Canonicus: O diuinos reformatores: o præclarum specimen reformatæ Ecclesiæ, &c. Sic ut etiam mendaciter in margine aspersit. Nota: Lutheri & Lutheranorum impulsu, Ordines imperij, fœdus percussere & arma sumpserunt contra patrem patriæ Carolum V. Casarem. Quo suo impudentissimo mendacio, iniuriam nobis facit notoriam & atrocissimam. Sed cur nõ potius considerat Sacerdotes, Pontifices Maximos, qui bella cruenta contra Imperatores Romæ susceperunt, totumq; orbem Christianum motis bellis, percurbauerunt: Quorum possemus numerare quàm plurimos?

Fol. 57.

Hinc frigide & truncatè doctrina nostra de solius fidei specificatione, recitata, multa sibi Phariseus, propria operum iustitia inflatus & fascinatus, absurda colligere videtur, quæ tamen ex ea non sequuntur, sed per calumniam ei affinguntur. Non enim docemus quemlibet Christianum hominem, etiam nefarium & scelere pollutum, posse sibi gratiam & vitam æternam polliceri, quàm diu in his perseuerat, sed respicientem, verè agentem penitentiam, & in Christum credentem quouis tempore: Quando peccator ingemuerit, inque Christum crediderit. An tu verò pro Deo amularis, aut oculus tuus nequam est, quod imparibus das paria? Num Hypocrita Canonici sanctior & iustior Christo, qui in cruce Latronem penitentiam agentem, à peccatis absoluit, eiq; vitæ æternæ immortalitatem pollicetur? Tu istum cum tua cohorte non in Paradysum, sed si non infernum, certè in purgatorium ablegasses, ut satis pro peccatis pateretur. Sed que noua hæc Religio: qui adulteros, molles masculorum

seculorum concubitores &c. fideles vocatis? Mirabilis hæc est fides: Mirabiles sancti fideles, masculorum concubitores? Horum scilicet Tridentinum Concilium, sanctum, generale, in Spiritu S. legitime (scilicet) congregatum, patrocinium merito suscepit, quia hæc in delicijs habere scribuntur, noui Sancti in regno Papatu Romani.

Opera sanctorum, ad consequendam iusticiam & salutem insu-  
 cilia, cum Christo, & peccatis contaminata, cum Propheta, dicente: Fol. 56.  
 omnes nostra **IUSTITIAE**, tanquam pannus menstruata: Luc. 17.  
 et cum Apostolo, stercorea (heus audin, Canonice) pronunciamus, ut Ica. 64.  
 inueniamur in Christi absolutissima iusticia fidei imputata, quam Philip. 3.  
 quiuus fide speciali sibi applicat. Hanc unam & solam esse omniu, si- Fol. 59.  
 ue sanctorum, siue peccatorum iustificationem coram tribunali Dei,  
 magna voce asserimus. Ex hac nos auro preciosiorem salutem con-  
 sequimur: vos verò inde, ut aranei ex flosculis dulcissimis, venena  
 exsugitis, quod in sequentibus audiemus.

Deinde quod ad vitam & mores, siue bona opera iustificato-  
 rum attinet, quæ vocamus inchoatam obedientiam, gradus esse af-  
 firmamus, & alijs alios excellere. Verùm hæc operum iusticia, nec  
 iudicio Dei opponi potest, nec meretur vitam æternam, quæ gratis Rom. 6.  
 donatur per & propter Christum, qui eam sua obediencia nobis est me-  
 ritus. Vnde Psalter: Non intres in iudicium cum seruo tuo, preca-  
 tur: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Hæc omnia ex Scripturæ sacre immotis fundamentis desum-  
 pta, Canonicus iste, minimè Canonicus, (sicut summus Pontifex Fol. 59.  
 blasphemauit) exclamat: An non hæc omnia plena impietatis? An  
 non hæc omnia monstra sunt & portentosa Religionis? Quid quæso  
 nostri Pseudoeuangelici, hac fide sua speciali, omni seculorum memo-  
 ria inaudita & inani persuasione.

Istis hominibus nouus est & ignotus, imò sepulcus Christus: no-  
 na doctrina Euangelij, imò pseudoeuangelium, monstra & porten-

A&amp;T. 4. 10.

A&amp;T. 15.

Matth. 1.

Rom. 3. 4. Pfal. 32.

Gal. 2. Eph. 2.

A&amp;T. 15.

ta Iudæis longè magis excæcati. An non enim hanc omnium esse Prophetarum consentientem doctrinam, Petrus Apostolus summus testatur? Et non esse aliud sub cælo datum nomen hominibus, in quo oporteat nos saluari, nisi in nomine Iesu Christi: qui ideo Iesus est dictus, quia saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et sic per fidem in Christum, & non per opera saluatos Patriarchas & Patres, Abrahamum, Gen. 15. Paulus quoq; & David attestantur.

Fol: 60:

Sic Scriptores quoq; Ecclesiastici, quos Patres vocant, SOLA fide in Christum hominem peccatorem iustificari, magno consensu docuerunt, cuius rei innumera possumus producere testimonia.

Orig. in Epist. ad  
Rom. cap: 3. lib: 3.

**ORIGENES.** Arbitramur igitur, fide iustificari hominem, absq; operibus Legis. Apostolus hisce verbis dicit, sufficere **SOLIVS FIDEI** iustificationem, ita vt credens quis tantummodo, iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Quod si exemplum requiratur, quis sine operibus fide iustificatus sit: sufficere arbitror illum Latronem, qui cum Christo crucifixus, clamavit ei de cruce: Domine Iesu, memento mei, &c. Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in Euangelio: Sed pro hac **SOLA FIDE** ait ei **IESVS**: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Per fidem ergo iustificatus est hic Latro, sine operibus Legis. Quia super hoc **DOMINVS** non requisivit, quid prius operatus esset: Nec expectauit, quid operis, cum credidisset, expleret: sed **SOLA** confessione iustificatum, comitemq; sibi Paradisum ingressurus, assumpsit. Sed & mulierem, quæ in Euangelio secundum Lucam refertur, ex nullo Legis opere, sed pro **SOLA** fide, ad eam ait: Remittuntur tibi peccata tua. Et iterum: Fides tua te saluam fecit. Sed & in multis Euangelij locis, hoc sermone vsus legimus Seruatorem, vt credentis fidem, causam esse dicat salutis eius.

CHRIST.

**CHRYSOSTOMVS**. Sola fides per se saluum fecit La-  
tronem.

Chryf. in Epist. ad Rom. cap. 3.

Id. alibi. Siquidem illi (Iudaei) dicebant, qui non seruauerit Legem, execrationi est obnoxius. Hic verò (Apostolus) declarat eum, qui seruat, execrabilem esse: è diuerso, qui non seruat, benedictionis consortem. Rursum illi dicebant: **QUI SOLA FIDE NITITVR**, execrabilis est: Hic contrà demonstrat: **QUI SOLA FIDE NITITVR**, benedictum esse.

Id. in Epistolam ad Gal. 3. Chryfostome, Iesuitis tu eris execrabilis Lutheranus.

**GREGORIUS NAZIANZENSIS**. Thesaurum hunc intellectus habet, & lingua, hic quidem credens, illa verò confitens. Quid his operibus succinctius? quid dono hoc facilius? Conficere Christum, & credas illum à mortuis suscitatum esse, ac saluaberis. Siquidem & **CREDERE SOLVM, IVSTITIA EST**. Salus autem perfecta, confiteri, loquendiq; libertatem addere scientia.

Grego. Naz. oratione de Modestia in disceptationibus obseruanda.

**BASILIVS MAGNVS**, super verba (Qui gloriatur, in Domino gloriatur) Hac est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando ne quidem propter iusticiam suam aliquis effertur, sed agnoscit sibi deesse veram iusticiam, **FIDE AVTEM SOLA** in Christum iustificari.

Basil. Homilia de Humilitate.

**HESICHIVS**. Miseratus Deus humanum genus, cum illud ad explenda legis opera infirmatum vidisset, iam **NON EX OPERIBVS** saluari, sed per gratiam hominem voluit. Gratia verò ex misericordia, **FIDE** apprehenditur **SOLA, NON EX OPERIBVS**.

Hesich. in Leuit. lib. 1. cap.

**THEOPHILACTVS**, super verba: Quoniam in lege nemo iustificabitur apud Deum: ostendit, lege execrabiles reddi homines, & maledictioni subesse, fide verò benedictiones accumulari. Nunc planè demonstrat, **FIDEM IPSAM, VEL SOLAM, IVSTIFICANDI** in se habere virtutem.

Theoph. ad Gal. 3.

Ambros. ad Rom.  
cap. 7.

**AMBROSIVS.** Iustificati gratis per gratiam ipsius. Iustificati sumus gratis, inquit, nihil operantes, neque vicem reddentes, **SOLA** fide iustificati sunt, dono Dei.

Id. ad Rom. 4. Quomodo ergo Iudaei per opera legis iustificari se putant, iustificatione Abraham, cum videant Abraham non ex operibus legis, sed **SOLA FIDE** iustificatum? Non ergo opus est lege, quando impius per **SOLAM** fidem iustificatur apud Deum. Postea, Secundum propositum gratiae Dei, sic decretum dicit à Deo, ut cessante lege, **SOLAM** fidem gratia Dei posceret ad salutem, &c. Et immediatè quater repetitur, **SOLA FIDE** hominem iustificari. Hoc inquit constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, saluus sit, sine **OPERE**, **SOLA FIDE**, gratis accipiens remissionem peccatorum.

August. enarrat. in  
Psalm. 88.

**AVGVSTINVS.** Et quia **SOLA FIDES** Christi mundi: non credentes in Christum soluti sunt ab emundatione.

Id. expos. in Epist.  
Ioan. Tractatu 42.

Et id. iterum. Sed etiam praecogniti, qui non fuerant credituri ea fide, qua **SOLA** possent à peccatorum obligatione liberari.

Id. de Tempore Sermon. 68.

Et iterum super verba: Credidit Abraham Deo: Ecce sine opere iustificatur ex fide, & quicquid illi legali posset observatione conferri, Totum credulitas **SOLA** donavit.

Primas. ad Gal. 2.

**PRIMASIVS.** Si gentes fides **SOLA** non salvavit, nec nos. Quia ex operibus nemo iustificabitur.

Idem Gal. 5.

Id. Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, ita & vobis fides **SOLA** sufficit ad iustitiam.

Fol. 60.

Non ergo omni seculorum memoria inaudita est, nostra de **SOLIVS** fidei iustificatione, doctrina: Sed ingens horrendum, monstruosum, in Ecclesia omni seculorum memoria inauditum est Canonici mendacium, quod nostram doctrinam, talem esse, sceleratè criminatur. Quale & hoc est, quod & hic, & passim in suo libello magno verborum apparatu splendide mentitur, & exclamat Rictor de nostra hac gratuita fidei in Christum iustificatione impurata: An

An non hoc est hominibus amplissimam debacchandi, atq; in vitia esse ingurgitandi, facultatem concedere? An non hoc est sepultam, ac in profundo inferorum demersam Epicuri doctrinam ab inferis ad lucem reuocare? Et alia quamplurima horum similia declamator more circumforaneorum vociferatur. Nequaquam vero. Et si enim cum Scriptura & Sanctis Patribus, ut iam copiose annotatum est, doceamus: Sola nos in Christum fide coram Deo iustificari, imputata eius iustitia: tamen non docemus, fidem esse aut manere solam, sed semper sibi coniunctam habere charitatem, ex qua omnis generis bona opera proueniant, bonamq; arborem, bonos fructus facere: Ad qua sedulo hortamur. Sequitur enim bona opera iustificatum, non procedunt iustificandum, ut Augustinus loqui solet.

An verò tu, Canonice, non idem facis, quod Apostolus de quibusdam hostibus suae doctrinae conqueritur, inquit: Et non, sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere: faciamus mala, ut eueniant bona. Sed quid addit? Quorum damnatio iusta est. Hoc tibi quoq; ad venenatas tuas calumnias dictum et responsum esse puta.

Sed hic declamator finem facere non potest, idem multis prolixè prosequitur, nec manum de tabula tollere potest, cum in materia plausibili & in suo regno se versari arbitretur, causamq; suam ornare se posse imaginatur, multis confictis absurdis. Quis inquit pro vita aeterna multum se affliget, atq; excrucietur, quam minimo labore consequi possit?

Respondeo: Verum est nos nostro labore eam comparare non posse, sed Christi labore, sudoreq; sanguineo nobis partam, ipsomet attestante, & dicente: Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, praebuisti MIHI LABOREM in iniquitatibus tuis. Ego sum, Ego sum ipse (non tua opera, hypocrisis) qui deleo iniquitates tuas propter me (non propter te, tuaq; merita) & peccatorum tuorum non recordabor. Et adeo non negamus bona opera facienda, ut maxime studium bonorum operum urgeamus. Sed hoc negamus, per bona opera hominem iustificari. Non hinc studium bene operandi languescit,



nec frustra, qui in virtutis studium incumbunt, contendunt. Nec enim nos fidem docemus operibus bonis vacuam, etiamsi fidem absque operibus iustificare dicamus. Hac enim duo diuersissima sunt, quæ vel per imperitiam, & ex inscitia, vel odio nostri, & doctrina nostra semper, aduersarij, confunditis. Et facienda esse bona opera propter alias causas, habereq; sua præmia, cum in hac, tum in futura beata vita, docemus.

Fol. 64. „ Atrox igitur iniuria est, qua nos, nostramq; doctrinam Cas-  
 „ nonicus iste afficit, cum scribit: Epicurea doctrina nos esse aucto-  
 „ res, pestem & perniciem honorum morum & virtutis. Item: quid  
 „ mirum si homines passim se Baccho & Veneri consecrent, ac pecu-  
 „ dum more, in voluptatum cæno volutentur?

Pharisæe, te respice, tuorumq; lustra Sacrificulorum & Mona-  
 chorum, ac Collegiorum lupanaria, de quibus, si liberet copiose di-  
 cere, non deficerent me verba nec materia. Exime prius ex oculo  
 tuo trabem: deinde festucam ex nostris. Nos ista non docemus,  
 neque etiam ex nostra sequuntur doctrina: vos verò hæc facitis.

Fol. 65. „ Quod ergo dicit: An non Christus apud Mattheum clarè pro-  
 „ fitetur: intrate per angustam portam, quia lata est, & spaciosa  
 „ via, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt, qui intrant eam.  
 „ Angusta autem, quæ ducit ad vitam, & pauci inveniunt eam.  
 „ Quomodo autem hoc verum esse possit, si solius fidei subsidio: absque  
 „ operibus pœnitentiæ, ad cælos euolare possumus?

Respondeo: Est quidem facilis ijs, qui inveniunt eam, sed  
 pauci inveniunt eam, & qui inuenerunt, non omnes ambulant in ea.  
 Lata via est, qua multos incedere Christus affirmat, quam gen-  
 tes cæca omnibus temporibus, Iudæi & Pharisæi olim, & iam et-  
 iam recentes Turcæ, & Papistæ hodie, ingrediuntur, & sic multi  
 imò plurimi damnantur. Horum enim omnium, omnibus tempo-  
 ribus, vna est & communis omnibus via & ratio consequendi re-  
 gnum cælorum, per priorum operum merita, virtutum studia,

via honestatem & cultus industria humana excogitatos: hoc modo peccata se expiare posse, & vitam mereri aeternam contendunt. Esi autem diuersa sint secta, & diuersa habeant capita Ethnici, Iudaei, Turcae, Romanistae, tamen omnes, vt dictum est, eadem via incedunt, per opera sua vitam conantur mereri aeternam, ad eundem finem tendunt omnes. Sicut & opinio est omnium vna communis, per bona opera homines saluari, & vitam consequi aeternam. Quod vos cum illis contenditis, sicut vulpes Simsonis caudis colligatae erant. Haec lata est & spaciofa via, quae ducit ad infernum.

Angusta autem via est, quae ad vitam ducit, quamq; pauci inueniunt, haec, & eorum est, qui omnem suam fiduciam in Christum Mediatorem vnicum collocant, ex eaq; fide piam & innocentem vitam agunt in hoc seculo. Sed hanc viam pauci inueniunt, pauci hac incedunt: sicut nec Pharisei, de priorum operum iustitia & meritis opinionibus inflati & excacati, hac incedere volunt.

Vnde minimè est ridiculosa Lutheri interpretatio (vt Canon. Fol. 77. vbi sic inquit: Ego dico tibi, quia angusta est via: oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Caeterum qui operibus onerati sunt (sicut conchilibus onustos videmus Iacobi peregrinos) ij non poterunt penetrare. Hanc interpretationem ipsemet saluator confirmat, proposito exemplo Pharisei & Publicani, quorum hic domum reuersus est iustificatus, illo Phariseo bonis suis operibus onusto, demerso in infernum. Luc. 18.

Quod verò dicit: scilicet quinq; virgines sapientes dormiendo sui sponsi beneuolentiam sunt consecutae. Respondeo, non dormiendo, sed credendo in eum. Et Epulo diues propter suam incredulitatem, & impietatem est damnatus. Sicut Saluator inquit, vt omnis, qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui autem non credit in filium, iam iudicatus est. Et ibidem Baptistae: Qui credit in filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ioan. 3.

Et quod addit & cumulat multa testimonia. Nisi abundaverit  
 iustitia vestra plus, quam Phariseorum, &c. Pharisei cæci non intel-  
 ligunt, quæ sit illa maior iustitia. Refert enim Canonicus more Pha-  
 riseorum, tantum ad vitæ sanctimonia n: Sed hac nemo v: tam æter-  
 nam consequitur, ut iam dicitur. Christianorum autem iustitia  
 Christus est, eius q, quam perfectè legi præstitit, obedientia, quæ no-  
 strasit, fide, nobisq, imputatur, Philip. 3. Et sic per fidem ipsum iusti-  
 ficamur: Deinde per fidem bonæ arbores facti, etiã perfectior præ-  
 stamus legi obedientiã, sed nunquã perfectam. Ideo ex lege nemo iusti-  
 ficatur. Quod Pharisei veteres & novi non intelligunt, & frustra  
 cū illis hac de re disputatur. An non, inquit, aperte pronunciat: Non  
 auditeores legis: sed factores iustificabitur. Respondeo. Da nobis sa-  
 ctiores legis: sed qui perfectè faciant. Imperfecta n. obedientia non me-  
 ritur vitam æternã, sed mortem & damnationẽ perpetuã, quæ vos  
 qui eam præstare non potestis, & tamen eius observatione saluari co-  
 tenditis, manet. Iuxta illud: Maledictus omnis, qui non permanet in  
 omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, Deut. 27. Gal. 3.  
 Talia sunt & hæc Christi: si vis in vitam ingredi, serua mor-  
 data: Rectè id. sed serua perfectè. Item, hoc fac & viues, sed fac per-  
 fectè. Quorsum igitur vos, Hypocritæ, qui per legẽ, eius quæ observa-  
 tionem, iustitiam & vitam æternam consequi vultis, vertitis? Hoc  
 vobis edico, & memori mente tenete: nisi nobiscum Euangelij do-  
 ctinam, quam profitemur, & in ea Christum vnicum Saluatorem:  
 qui legi pro nobis perfectam præstitit obedientiam, nobisque imputa-  
 tur, & donatur, fide sola amplexi fueritis, & per eum solum remissi-  
 onem peccatorum & vitam æternam acceperitis, sine dubio in æter-  
 num peribitis, si fides Petro Apostolo habenda est. Non est enim in  
 alio quoquam salus, nec aliud sub cælo nomen datum hominibus: in  
 quo oporteat nos saluos fieri, nisi in nomine Iesu Christi. Nam quod  
 Apostolus dicit: si omnem fidem habeant: charitatem autem non ha-  
 beam, nihil sum. Non dicit, charitate nos iustificari, sed hoc dicit:  
 Nihil

Fol. 67. 57.

Roma. 2.

Fol. 67.

*Nihil sum. Certum enim est, veram fidem in Christum non esse, ubi non est Charitas, qua fides nunquam careat.*

*Et qualis, qua se, mi homo, antiuibes est, Christus virtutum officia & honestas actiones à nobis exigat: Lutherus verò prohibet. Imò omnes præclaros conatus & honestas molitiones nostras in vi- eiorum genere collocat. An non hac ex diametro pugnant? utiq, si hoc Lutherus (quod mentitur turpissimè Canonice) docuisset, id quod garrat Canonice, sequeretur: Sed hoc nunquam, & nusquam ex scriptis eius probare poterit, etsi hoc satagere, suis consequentijs falsis & collectionibus absurdis, non desinat.*

*Quòd verò, ut supra quoq, responsum esse puto, in omni opere bono peccatum inesse dixit Lutherus, propter imperfectionem, & concupiscentiam: quid aliud dixit, quàm Apostolus: Inuenio quòd volenti mihi facere bonum, malam adiaceat. Et Augustinus? qui in hæc verba scripsit: Ipsa quoq, iustitia nostra, tamen in hac vita tanta est, ut magis peccatorum remissione constet, quàm perfectione virtutum, ut taceam illud Isaiæ, quo confert sanctorum etiam iustitiam, hoc est bona opera, panno menstruatæ.*

August. de Ciuitate  
De lib. 19. cap. 27.

Esa. 64.

*Istis hæc quoq, atrexit: An non hoc est homines ad summam desperationem adigere? Si enim beatus nemo esse potest, nisi qui legem seruauerit? &c. Si deniq, in nobis semper regnat peccatum, sordesq, vitiatorum tam altas radices fixerunt, ut elui, atq, auelli non possint: quæ ratione iustitiam nobis polliceri, aut ad Christi gratiam peruenire poterimus?*

*Vtiq, mi Domine Canonice, vestra Pharisæicâ doctrina, nemo hominum saluabitur, quod certo certius est, eaq, homines non nisi ad desperationem adigebis, quod & facitis. Stante enim vestra doctrina: quicumq, vult intrare in vitam, debet seruare mādata Dei perfectè, aut damnabitur perpetuò. Sed nullus hominum, ne quidem sanctorum, seruatur mādata Dei perfectè. Ergo nullus homo potest intrare ad vitam, sed omnes damnabuntur.*

Vnde Apostolus: Quicumq; ex operibus iustitiam quærunt coram Deo, sub maledictione sunt, Gal. 3. Hæc vestra est doctrina, qua quid efficiatis, quamq; sit maledicta, & ex hoc Apostoli testimonio, & propria vestra confessione constat. Hic manendum est vobis, & omnibus, qui vobis fidem habent. Utinam hæc, vestri, nos audire possent auditores, quos miserrimè vobiscum in damnationem perpetuam abducitis. Quorum nos miseret interitus.

Nobis verò expedita est responsio. Primum enim dicimus vos nobis facere iniuriam manifestam, quod doceamus, semper in nobis regnare peccatum: Cùm ex Apostolo doceamus, & hortemur: Rom. 6. Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Deinde idem Apostolus nos aduersus istas desperationis tentationes, docet, & munit, monstrato Christo, qui legi perfectissimam obedientiam prestavit, nosq; ex eius maledictione liberavit, cùm ait: Quod impossibile erat legi (vt iustificaret nos) quia infirmabatur per carnem: hoc Deus prestavit, mittens filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum, i. quia semetipsum obrulit hostiam pro peccato, deleuit peccatum, vt iustificatio legis impleretur in nobis, hoc est, vt consequeremur veram coram Deo iustificationem, & obedientia Christi nobis in iustitiam imputaretur, quo ita legi satisfaceret, & nos coram Deo iusti reputaremur, non secus, ac si nos ipsi legi perfectissimam prestatissemus obedientiam. Sed hæc vobis noua, portentosa, & monstrata sunt verborum inaudita, &c. **Behemische Dörffer.** Et non capiunt veres vestri veteres, mustum hoc nouum Euangelij Christi, qui est iustitia nostra ad salutem omni credenti. Et fermento Pharisæicæ iustitiæ operum repleti turgentibus hanc Christi nobis eius obedientia partem iustitiæ, introumittere non potestis. Quod hinc adeò fit, quod nihil in Scriptura videtis, quemadmodum Pharisæi veteres Legi periti olim, nisi legem, perpetuò ex Christo quærentes. Non de Christo, non de Euangelio, sed de lege: quid faci-

ciendo

ciendo regnum Dei possidebo? Ex quibus ille querit: in lege quid scriptum est? Quomodo legis? Et tandem sicut erat interrogatus, respondet: fac hoc & viues. Sed hac doctrina vos homines iuxta proprium vestrum testimonium, ad desperationem adigitis, cum nemo hominum exactè legem seruare possit. Sicut isti in suo Pharisaismo perierunt.

Non itaq; ex nostra doctrina vel desperatio vel vita dissolutio sequitur, quod Doctor ille legis de suo ingenio sceleratè affingit: Lutherum Epicuream suasisse vitã, postea demum ad temperantiam, sed aut non serió hoc ab ipso factum (Fidei enim nuda basi, tanquam fundamento nititur, inquit Lutheranismus) aut serius, quàm huius morbi grauitas postulabat. Itè postea: Quare sibi planè persuaserunt, post Christi mortem sibi licere esse Sardanapalos. Turpissimum hoc Canonici de vita Epicurea & Sardanapalis mendacium, historia temporum refutat. Nam statim primis duobus annis Lutherus decem precepta copiose pro concione enarrauit, ad vitam pietatem, morum honestatem, & integritatem omnes omnium ordinum homines instituit, & est exhortatus, & à contrarijs vitijs dehortatus. Quare de re etiam suprã aliquid est dictum & probatum.

Quod damnat Lutheranismum, hoc nomine, quòd fidei nuda basi nitatur: ignorat hic doctus Canonicus, se damnare veteres Scriptores Ecclesiasticos plerosq; omnes. Nam vt Sanctorum Patrum testimonia de sola fide iustificante, de quibus suprã copiosè, taceam. Victor Massiliensis olim ad verbum, ita vt Lutherus loquitur, de Abrahamo cecinit.

Credidit & *NVDÆ* fidei consensio *SOLA*,

Plenam ad iustitiam & meriti reputata coronam est.

En tibi Canonice, & *NVDAM* & *SOLAM* *FIDEM*, & *IUSTITIAM* *IMPVTATAM*. Sed quid facias eiusmodi hominibus, qui cum ratione volunt insanire? cæcisus dis, linguam, in qua versantur, non intelligentibus? Mitte illos, inquit Christus, quia cæci sunt & duces cæcorum.

Fol 69.

Fol 70.

Fol 70.

Fol. 70. ..  
 Inultima locorum ..  
 com. editione.

Neq. hoc me lateat, inquit Canonicus, Philippum Melanthonem  
 Sanctorum opera, vitam aeternam mereri docuisse. Respondeo:  
 Ingens non tantum mentiendi libido & consuetudo, sed etiam perpetuum  
 calumniandi & deprauandi aliorum dicta, studium, in isto Ca-  
 nonico apparet. Nequaquam enim Philippus docet, ut iste recitat,  
 Sanctorum opera vitam aeternam mereri: sed ad argumentum ad-  
 uersariorum: vita aeterna vocatur merces, ergo est debita pro ope-  
 ribus, respondeo, inquit Philippus, breuissimè: vita aeterna est mer-  
 ces, quia compensat benefacta, etsi datur propter aliud, scilicet pro-  
 pter Christum. Vt, patrimonium est merces filij, etiamsi contingat pro-  
 pter aliam causam. Hac responsio breuis & expedita, satisfacit  
 huic obiectioni. Nam aduersarij, inquit, immodicè exaggerant  
 vocabulum mercedis, multa inde absurda extruxerunt, ut in loca-  
 tione operarum & mercedis, vel in emptione precij & mercis est  
 aequalitas. Sic finxerunt aequalitatem obedientiae & vitae aeternae,  
 & vocauerunt obedientiam meritum de condigno, haecenus Philip-  
 pus. Vbi quis non videt malitiosè Philippo perueri verba? Aliud  
 enim longè est dicere, opera Sanctorum merentur vitam aeternam.  
 Aliud, vita aeterna est merces, quia compensat benefacta, etsi pro-  
 pter aliud datur, scilicet propter Christum, ita ut sit gratiosa merces:  
 Hoc dixit Philippus, propter aduersariorum obiectionem, quam ex-  
 plicauit copiosius, ostendens absurda, quae inde comminiscuntur:  
 illud non dixit, non scripsit, non sensit, sed dysertè negauit, & vi-  
 tam aeternam, non propter opera. Sed propter aliud, videlicet pro-  
 pter Christum dari asserit, sicut patrimonium, aut hereditatem.  
 Et absurdam illorum sententiam, & consequentias rejicit.

Fol. 71.

Sed & Philippi & D. Iacobi Andreae testimonijs convincere co-  
 natur, ex nostra doctrina Epicuream sequi vitam, qui ipsimet de  
 hoc, sed frustra conuerantur.

Respondeo. Calumnia haec est Canonici. Non enim dicunt fru-  
 strum hunc esse Euangelij nostri. Hac enim nostri non docent, nec  
 illi

illi hinc didicerunt: sed abusus est doctrinae, ex corrupta homines  
 & deprauata natura, qua ut alijs bonis Dei creaturis ad suam per-  
 niciem, ita verbo Dei quoque abutitur. Qualem etiam Isaias Pro-  
 pheta Ecclesiae suae (cuius fidelissimus fuit Doctor & Pastor) Isai. 3. 5. & alijs mu-  
tis capitibus.  
 pessimum, deploratum, plenumque scandalorum in omnibus ordinibus  
 Sacerdotum, Doctorum, Principum & vulgi, saepe describit & re-  
 petit statum. Similiter & Paulus hoc idem sibi accidisse conqueri-  
 tur. Ergone doctrina illorum in culpa fuit? Secundum hunc Cano-  
 nicum utique damnanda erit Propheeta & Apostoli doctrina?

Sed Lutherus, inquit, & affecta eius libertatem carnis atque vo-  
 luptatis illecebras, omnium animis obiecerant, &c. neque ad flagitia  
 à Luthero fenestra aperienda fuisset.

Respondeo. Recte de libertate Christiana docuerunt, quae consi-  
 stat in rebus & bonis spiritualibus, de qua Christus dixerat contra  
 carnalem Iudaorum, de externa libertate, imaginationem: Si vos Iohani. 8.  
 filius liberauerit, verè liberi eritis. Sed quòd mulei hae Christi do-  
 ctina ad carnis libertatem abutuntur, culpam hanc Christus, &  
 Lutherus prestare nō possunt. Muleis postea clamoribus suis, & testi- Fol. 73. 74.  
 monijs ex Luthero (ut mētur Canonicus) allatis probare conatur,  
 quòd ipse sua doctrina ad flagitia fenestrā aperuerit: Annon, inquit,  
 in his locis Lutherus legem, & penitentiae opera à iustificatione pro-  
 fus excludit, & soli fiducia ac fidei speciali iustificationem adscribit?

Respondeo: Ita, & quidem rectè, nec solum praecedentia, sed et-  
 iam sequentia iustificationem, ad hanc nihil profunt consequendam.  
 Ergone ideo fenestram Evangelij doctrina ad flagitia aperuit? Ne-  
 go consequentiam. Sed absurdum videtur Canonico, quòd Lutherus  
 asseruerit: Quanto quis sceleratior, eò citius gratiam consequatur:  
 Si autem nos adornauerimus bonis operibus, nihil nos effecturos  
 esse.

Resp. Non aliud dixit, aut voluit Lutherus, quàm quòd Christus  
 ipse salutis auctor, veteribus olim, & iam nouis dixit Pharisaeis:  
 publi-



publicani, & meretrices (inquit Christus) præcedent vos in regno  
 cælorum. Hi enim peccata sua defendere non possunt, sed agnoscunt,  
 dolent, sequuntur & amplectuntur Christum fide speciali, creden-  
 tes in eum. Quod Pharisei omnium temporum non faciunt, sed se  
 iustificant coram hominibus, & Christum nolunt solum & vnicum  
 salutis suæ & vitæ authorem fide agnoscere, sed confidunt in semet-  
 ipsis. Sicut hic quoq; Phariseus, cum addit: Nemo est rerum  
 diuinarum tam imperitus, qui decem præceptorum obseruationem  
 ad salutem necessariam esse nesciat, cum apertè Christus dicat: si  
 vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Luc. 18.

Fol. 75.

Ita me Christus seruator bene amet & seruet, non est omni-  
 ouo tam simile, quàm hic Canonicus Phariseorum veterum, qui  
 tantum per legis obseruationem (quam tamen non intelligebant)  
 vitam consequi volebant æternam. Vbi tamen nemo rerum diui-  
 narum tam est imperitus, qui ad salutem, decem præceptorum obserua-  
 tionem necessariam esse sentiat, cum Christus dicat: Si feceritis om-  
 nia quæcumq; mandata sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Et  
 Apostolus: Concludimus hominem fide iustificari absque operibus,  
 Ephes. 2. Gratia saluati estis: non ex operibus. Item Roman. 8.  
 Quod impossibile erat legi, &c.

Iacob. 2.

Prouerb. 20.

Psalm. 143.

Deut. 27.

Respondeo itaq; serua mandata: sed serua perfectè, & ingre-  
 dieris ad vitam. Quicumq; enim totam legem seruauerit, sed in vno  
 offenderit, omnium est reus. Certum est autem, quantumuis Hy-  
 pocritæ contradicant: Neminem hominum legi diuina posse faci-  
 facere. Quis enim potest dicere, mundum est cor meum, purus  
 sum à peccato? Hinc David: Non intres in iudicium cum seruo tuo,  
 quia non iustificaberis in conspectu tuo omnis viuens. Et Iob: Si  
 Deus voluerit contendere cum homine, non respondebit ei vnum pro  
 mille. Hinc sequitur necessariò, vestrum neminem ad vitam in-  
 gressurum, sed vos omnes perpetuò damnandos, iuxta legis senten-  
 tiam: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus sermonibus  
 legis,

legis, nec eos opere perfecit. Ideoq; homines hac vestra legali doctrina ad desperationem adigitis.

Quod vero Lutherum scripsisse ait: Decalogum Christianos non obligare: id non absolute dixit, sed cum respectu, videlicet, propter Moysen, vel quatenus latus est à Mose, qui Legislator fuit populi Israelitici. Sicut nec leges iudiciales & ceremoniales Moysi obseruamus. Sed quia inscriptus est omnium hominum mentibus à Deo, estq; lex moralis: hac ratione omnes obligat homines ad obedientiam. Deinde non obligat Christianos, verè in Christum credentes, quo ad maledictionem, seu damnationem. Christus enim nos redemit à maledictione, factus pro nobis maledictio, ut eos, qui sub maledicto erant, redimeret. Hac vobis Pharisaïs monstra sunt & portentosa verborum, qui horum nihil intelligitis. Ideoq; tanquam absurdum ponit Canonicus: Alibi etiã ea (præcepta Decalogi) seruatū impossibilia docuit Lutherus. Rectè & verè. Tunc ergo, Hypocrita, quæquã hominum, præter Christum vnicũ, obseruasse aut obseruare legem posse contendis? O insanum caput. Vide Augustinum libro de Spiritu & littera: ibi hac disces.

Fol. 76.

Gal. 2.

Fol. 76. 77.

Sermone de vita coniugali.

Pergit autem Canonicus: Et in libro de vita coniugali inquit, adulterari, & fornicari, nõ censet Luth. esse peccata, ideoq; sicut necessariò.

Hac verè diabolica est calumnia, quam apud suos, quibus nostra legere non est permissum, spargit, & Lutherum in suspicionem adducit, ut talia tam aperta, tamque atrocia mendacia de Luthe-ro & nobis, temerè effluentem sibi fidem habeant, nosq; nostramq; doctrinam oderint, damnent, abominentur, persequantur. Quis enim talem ferret Doctorem, Magistrum turpitudinis? Sed loquitur ibi Lutherus de creatione & natura hominis, quòd ad procreationem sic conditus à Deo, dicente: crescite & multiplicamini. Qui ergo sic à Deo sunt conditi ad procreationem idonei, quales sunt plerique, nisi singulari priuilegio sint exempti, quod paucissimis contingit: naturam aliud non posse, quàm, velle crescere & multiplicari, ideoque semen emittere. Quod si non in coniugio fiat, quomodo aliter

Hæc vobis Papicolis calibus dicta putate.

K

fieret;

fieret, quàm per fornicationem? At qui continebo, inquires? An non audis, inquit Lutherus, verbum Dei? teneri se non patitur, neq̃ mentitur, cum dicit: Crescite & multiplicamini. Hoc Dei verbum est, quod tu neq̃ prohibere, neq̃ impedire potes: verbum Dei est, quod sua procedit via.

1. Tim. 4.

Hæc verba sunt Lutheri, quæ experientia vera esse restatur. Et sentiunt hæc cælibes, & res, prob dolor, loquitur ipsa. Et quantum malorum lernam ac Sodomiam impurus & maledictus, ac verè Diabolicus cælibatus secum adduxerit, notum est, & dies Domini toti mundo manifestabit, vrcumq̃ novi hypocrita, sanctiuli, celare iam studeant, in hypocrisi loquentes mendacium.

Hæc sententia est Lutheri: sed quòd propterea concupiscentia ista, & flamma libidinum, imò etiam impura & libidinosa ista cælibum cogitationes, non sint peccatum, vt taceam fornicationem & scortationem, id minimè sensit, minimè dixit, minimè scripsit Lutherus. Hæc tua est, Canonice, calumnia: tuū mendacium, vt manifestissimum, ita impudentissimum, qui cum natura, ordinatione, & verbo Dei, & sic cum Deo creatore certare sapientia, vimq̃ nature inferre vultis, θεομαχῶσι. Quantò rectius quidam in Concilio Basiliensi dixit: Quasi non hodie satius esset, quàm plurimos Sacerdotes vxorari, quia multi in coniugato Sacerdotio saluarentur, qui in Presbyteratu sterili damnantur.

Nota bene. Aeneas Syluius de gestis Concilij Basiliensis lib. 2.

Fol. 77.

Istis addit Canonicus: Sic alibi solam infidelitatem peccatum esse asserit Lutherus. Et quis tandem calumniandi & mentiendi finis Sycophanta? Hæc enim verba eius, super locum Ioan. 16. sunt, Articulus hic per Spiritū sanctum est determinatus: Hoc esse mundi peccatū, quòd non credit in Christū: NON QVOD PRÆTER HOC NULLVM ALIVD SIT PECCATVM CONTRA LEGEM: SED QVOD HOC SIT PRINCIPALE PECCATVM, QVOD VNIVERSVM MVNDVM DAMNAT, ET IAM

11 Postilla Ecclesiastica super Euangelium, Dominicæ 4. post Pascha. Spiritus S. arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.

**IAMSI ALIAS NULLIVS PECCATI ARGVI  
POSSET.** Quid his magis perspicuum dici potest? quid magis  
pugnans cum istis aduersarij verbis, quæ Luthero tribuit? Canon-  
icus dicit, Lutherum asseruisse, solum infidelitatem esse peccatū: cum  
Lutheri verba habeant: Non quod præter hoc (incredulitatis pecca-  
tum) nullum aliud sit peccatū. Hæc non ex ignorantia, sed ex mali-  
ria proficiscuntur, & mendaciter sparguntur, quod contradicentem  
sui auditores audire non possint. Sed nondum finis. Tandem enim ex  
Lutheri doctrina (calumniatur Canonicus) profectū est, ut quidam  
legem operum ac nouam obedientiam, non ad regnum Christi, sed ad  
Magistratum & curiam pertinere sint arbitrati.

Fol. 77. 78.

Non ignoramus, ita sensisse Antinomos: Sed quàm turpe est men-  
daciū, ex Lutheri doctrina hunc esse profectum errorem, cum Lu-  
therus quinq; disputationibus ordinè & publicè habitis errorem istū,  
eiusq; authorem, cum Vuitenbergæ præsentem, refutârît & damna-  
uerit, quas ipse audiui. Iniustissimè ergo & malitiosè Lutheri accu-  
satur hoc nomine doctrina. Hoc enim modo & Pauli doctrina accu-  
sanda & damnanda esset, quod quidam Epicurei facti sunt, Rom. 2.  
quidam ipsius auditorum Resurrectionem mortuorum negârunt,  
et alij Sectarij & Hæretici ex discipulis eius facti. Cūq; Canoni-  
cus nihil rerum verarum possit proferre, ταυτολογος ad nauseam  
subinde & multoties mendaci & blasphemò ore, fronteq; perfricta  
repetit: Lutherum virtutem omnem è medio sustulisse, hominesq; ad  
liberè peccandum erexisse & accendisse: liberè carni & voluptati  
indulgere, libidinesq; explere, Christianis licere, asseruisse: ac in  
summa vitiorum licentia & peccandi libertate eos constituisse, bona  
opera prohibuisse.

Fol. 78. 79.

His & similibus calumnijs & mendacijs impudentissimis, au-  
res replet & obrundit sui Principis, & aliorum, in quorum ma-  
nus Libellus iste peruenit, subinde crambem hanc ponendo, & repe-  
tendo ociose, & odiose. Bone Deus, quàm mirificè sibi homo iste pla-  
cet

cer, cum videatur sibi popularem causam nactus, qua exosam nostram, de Iustificacione fidei gratuita doctrinam se reddere posse sperat. Id ut faciat, quoties repetit? quos bonas chartas clamator perdit? Sed Satânica hæc est calumnia.

Nemo enim ante Lutherum per multa secula magis per spicue de bonis operibus docuit, omnes tres ordines Hier archieos diuinitus institutos (non Monasticos ab hominibus excogitatos, quorum nomina præferunt) de operibus vocationis, cum antea clamoribus & superstitionis ac falsis opinionibus Papisticis & Monasticis essent miserum in modum deformati, instruxit: Magistratum pristina dignitati restituit: subditos ad obedientiam est hortatus sedulo: coniuges, liberos, seruos, ancillas de suo officio docuit & monuit. Et quod Deo hæc vitæ genera probentur, qui in his coli possit & velit gratias illorum omnium sibi esse operas, in quo vitæ genere, Christo seruientes, salutem consequantur æternam. Et in genere qui cultus Deo gratis, & quæ verè bona opera sint, Deo placentia, sedulo inculcauit: quæ totus Papatus ignorauit, imò contrarium docuit, qui in carne sunt, id est: coniuges, Deo placere non possunt. Et horum similia plurima, quæ facile percensere possem. Nihilominus tamen Lutherus ab hoc calumniatore, bona opera prohibuisse dicitur.

Eph. 6.  
1. Tim. 2.

Fol. 80.

Inspersit & alio Rapsodus: Buccinatores Euangelicos plenis buccis prædicasse, omnia fatali necessitate contingere, extinctam esse omnem arbitrij electionem, & sic mendacia cumulat.

Respondeo: respectu visionis Dei, quod hæc omnia præsentia intueatur, nec fallatur, omnia fieri necessario, non negamus, sed non coacte. Visio enim illa Dei, non cogit hominum voluntates, sed relinquit eas sibi incipis, suamque libertati: ita & liberè & contingenter agere homines docemus. Ad vires liberi arbitrij quod attinet, quo ad actiones rationi humanæ subiectas, liberam in eis voluntati relinquit electionem asserimus: sed non item in spiritualibus, & Theologicis atque conuersione hominis ad Deum, de quibus Apostolus: Non sumus sufficientes, ne cogitare quidem aliquid boni ex nobis, tanquam ex nobis: Sed

Sed Deus est, qui operatur velle & perficere pro bona sua voluntate. Phil. r.

Deniq; Quod si bona opera non prohibent (inquit) cur Sancto-  
rum opera, Dei benevolentiam & vberiore gratiam nobis concili-  
are inficiantur? Negamus bona opera mereri iustificationem: inte-  
rim tamen nequaquam negamus, esse ea facienda: multo verò minus  
prohibemus. Et qua ratio consequentia est? Lutherani docent, bona  
opera non mereri iustificationem: Ergo prohibent bona opera. O in-  
eptum Disputatorem. A quo Dialectico quaeso hanc didicisti argu-  
mentationem? Sunt enim alia multa causa, propter quas facienda  
esse docemus & hortamur, mereri etiam premia, cum in hac vitam in  
altera vita affirmamus: sed non iustificationem aut vitam aeternam.  
Nam ante iustificationem, nec sanctus quisquam est, nec verè bona  
opera facere potest: quia mala arbor: qua fructus bonos facere non  
potest. In iustificatione, sola fides cum Deo agit, oblatam ipsius grati-  
am per & propter Christum, & sic remissionem peccatorum & iusti-  
tiam eius amplectens. Bona autem opera tanquam effectus fidei,  
iustificationem sequuntur: Ideo nos ex verbo Dei homines gratis per  
Dei gratiam iustificari docemus, donata & imputata Christi iusti-  
tia. Et hac semper sumus iusti. Non ergo operibus fidem consequenti-  
bus iustificari possumus: quippe quod contra naturam est ordinem & re-  
gulam Christi, quam stulti homines & cœci in Scriptura s. nec vi-  
dent, nec intelligunt. Aut facite, inquit Veritas, arborem bonam, & fructus eius bonos: aut facite arborem malam, & fructus eius ma-  
los. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur, prius arbor bona est faci-  
enda. Non sic autem arbor bona ex fructibus, qui sunt effectus, non  
causa: sed ex fructibus tantum agnoscitur. Ideo cum natura pugnant  
Pontificij, qui cum natura sint mali, per opera iusti & sancti esse  
ac iustificari volunt, quasi effectus causam producat.

Calumniarum Canonici copia & multitudo facit, ut libellus in-  
ter scribendum, præter meam voluntatem crescat, cum breuitati  
studere cupiam. Non curo autem eius exclamations, apostrophas,

amplificationes Rhetoricas, vel etiam τавтоλογίας, quibus ipse libellus esse refertus, quas si cum corruptelis nostræ sententiæ, calumnijs & mendacijs, quæ conserium inspergit, ex illo demas, parum aut nihil illi erit reliquum: Et tantum calumnias ipsius detegere, nosq̄, nostrosq̄, ab eis vindicare constitui, ne fides isti clamoroso habeatur.

Fol. 186.

Honesto oratio.

Cumq̄ contra me nominatim Libellum suum inscripserit, vehementer miror, quòd, me meisq̄ scriptis neglectis (nisi quod unam aut alteram postea meam propositionem recitat) omnia passim rapsodus, quæcunq̄ conuolare potuit, ex alijs plurimis & diuersis corradere, etiam ex ijs, quorum nos aperte damnamus opiniones erroneas, mihiq̄ ea omnia opponere voluerit. Quod ipse agnoscit, & fatetur in fine: sibi videlicet ordine ad meam Disputationem fuisse respondendum: Sed eam ad manum non habuisse, legisse tantum. Neq̄ hoc scribendi (calumniandi) genus (Rapsodicum, & quodlibetarium) alium ordinem tulisset, inquit. Scilicet facilius esse iudicauit, vndecunq̄, & quæcunq̄ obuia, vel etiam studiosè collecta, & conquisita, quæ ad calumniam quocunq̄ modo apud suos faciendam, non inepta videbantur, compilare & coaceruare, suaq̄ sputa allinere: quàm ad recta verba & propositiones vnius authoris, qui telis ex arte depromptis, petendus erat, omisis Rhetoricis declamationibus, ordinè respondere.

Fol. 81.  
Confess. August.  
Articulo 20.

Querit autem ex me, de quibus operibus Philippus in Confessione agat, cum asserit: Principio (nostri) docuere, quòd opera nostra non possunt reconciliare Deum.

Respondeo. Et si allegetur ibidem testimonium Ambrosij, ubi negat iustificationem, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberi: tamen ingenuè respondeo, hanc esse perpetuam nostram doctrinam, nõ solum operibus, iustificationem præcedentibus derogari laudem reconciliationis cum Deo, sed in vniuersum omnibus etiam in ipsa iustificatione, adeoq̄ hanc sequentibus. Ita vt nec causa, nec pars

pars sint bona nostra opera, reconciliationis. Christus enim perpetuus  
 est reconciliator, Mediator, redemptor & propiciatorium nostrum. Rom. 8.  
 Hic honos illius est proprius, & gloria, quam nec sculpsit illis, nec  
 opellis, aut meritis humanis vult dare. Sic Paulus Christi imputa-  
 ta iustitia, qua in iudicio iustificatur, per omnem vitam iustificatur. Ista. 42.  
 In hac sola, & non operum, quam pro stercore habet, vult inue- Phil. 3.  
 niri.

Facebant igitur nuga & spinosa vestra, Canonice, disputationes, Fol. 82. 83.  
 deliria, figmenta sophistica, supersticiosa, impia, in quibus Christi san-  
 guinem & passionem blasphema commenta, de merito congrui &  
 condigni. Ante iustificationem opera bona facta, non merentur (in-  
 quit) iustificationem de condigno, hoc est, illa opera non sua digni-  
 tate merentur gratiam Dei, remissionem peccatorum, & reconci-  
 liationem: sed tantum de congruo, hoc est, congruit iustitiae diui-  
 nae, ut non relinquat ista opera irremunerata, sed pro viribus anni-  
 rentem exaudiat, iustitiamque munere donet: & sic ea aliquo modo me-  
 reri iustificationem, & remissionem peccatorum, per modum dispo-  
 sitionis, hoc est, de congruo, ait.

Hoc totum humani cerebri est figmentum, contra Christi me-  
 ritum, & Scripturam Sacram, excogitatum. Quicquid enim in opere  
 iustificationis, humanis operibus tribuitur: id Christo detrahatur.  
 Nec virtutem operibus nostris qualibuscumque, reconciliationis, re-  
 missionis peccatorum, & iustificationis laudem tribuit, sed in soli-  
 dum sibi vendicat omnia: ipse sua obedientia, hac omnia meruit, Ista. 63.  
 solus torcular calcavit, & non homo de gentibus cum eo. Sic & Apo- Rom. 3.  
 stolus scribit: Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testi-  
 ficata à lege & Prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi,  
 in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distin-  
 ctio (inquit Paulus) Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei.  
 Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in  
 Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciationem per fidem in san-  
 guine



guine ipsius, ad ostensionem iustitia ipsius, propter remissionem precedentium delictorum. Vbi est gloriatio? exclusa est, per quam legem? operum? non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.

Testimonium hoc aureum per se planum est, & perspicuum, soleq; meridiano splendidius, quo Apostolus omnibus omnino omnium hominum operibus, tanquam tonitru quodam, gloriam reconciliationis cum Deo, remissionis peccatorum, iustificationis adimit, soliusq; Christi propiciatoris merito gratuito, obedientia, & sanguinis profusioni adscribit, quem Deus toti mundo proposuerit Redemptorem & propiciatorem, per fidem amplectendum.

Contra verò laudem hanc operibus, siue precedentibus, siue in actu iustificationis, quæ ex æquo excludit omnia (absq; operibus) expressè detrahbit. Non igitur sine blasphemia in societatem Christi, eiusq; meriti venire possunt opella hominum etiam Sanctorum, sordida, contaminata menstruis, stercoraria: neque de congruo, neque de condigno.

Et quis non dicat, homines istos in Scriptura S. cacos esse, qui nec videant, nec intelligant. Quid iustificatio? quid fides? quid dicitur ex fide, bona opera facere? Sed fidem tantum pro noticia historie de Christo accipiunt, qualem & Dæmones habent. Et quidem multo certiores, magisq; indubitatas, quam multi istorum Christianorum. Vnde & fideles adulteros, molles, masculorum concubiores, &c. vocant. Veram autem iustificantem fidem, quæ est fiducia in Christum, qua quis certò credit, sibi remissa esse peccata, per & propter Saluatoris & redemptoris Iesu Christi meritum, & passionem, tanquam maximam hæresin non solum damnant, sed & execrantur. Quod & Canonicus hic facit.

Ex fide autem facere bona opera, est fiducia mediatoris Christi, qui nos Deo patri cælesti sua obedientia reconciliauit, & iustificauit, sicq; personam Deo placentem reconciliatam & iustificatam per

Ifa. 64.

Phil. 3.

Trid. Concil.

per fidem, bona opera facere: & quidem ea, quae ab ipso mandata sunt. Quae etsi imperfecta sint, tamen placent Deo. Sicut scriptum Gen. 4. est: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain vero, & ad munera eius, non respexit. Primum personam operantem, apud Deum in gratia esse necesse est, ut hic de Abel dicitur. Deinde placet Deo opus ex fide seu fiducia Mediatoris, qua sumus reconciliati, iustificati, & filij Dei, factum. Sicut iterum scriptum Hebr. 11. est: Fide plenior hostiam Abel Deo obtulit, quam Cain, opera vero à non iustificatis profecta, quantumuis in speciem bona appareant & videantur hominibus, Deo non probantur. Qualia fuere Pharisaeorum preces, ieiunia, Eleemosyna. Quia persona apud Deum non est in gratia, aut reconciliata vera fide, hoc est, fiducia in Christum gratis remittentem peccata. Iuxta illud: Quicquid non Rom. 14. est ex fide, peccatum est. Vbi non de historica fide loquitur Rom. 1. 3. 4. Apostolus, sed de vera fide, qua homo iustificatus, vivit.

Hæc, inquam, præ nimia cæcitate homines isti, qui de merito congrui operum ante iustificationem nugantur, nec vident, nec intelligunt. Quamq̃ absurda illorum hæc sit doctrina, hinc patet: quòd hoc modo, Effectus prior esset sua causa, & fructus arborem malam, facerent bonam. Quod ratio dicit, experientia comprobat, & Christus, impossibile planè esse pronunciat: non potest, inquit, arbor mala, fructus bonos facere. Sunt autem omnes naturæ arbores mala. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Psal. 13. Non est qui faciat bonum, non est usq̃ ad vnum. Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videret, si est intelligens, aut requirens Deum: OMNES declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, NON EST usq̃ ad vnum. Ecce hæc sunt bona opera iustificationem præcedentia. Quomodo enim ARBORES MALÆ (quales omnes sunt ante iustificationem) fructus bonos proferre possent? An non hoc est veritatem, mendacij arguere?

Quòd si verò ex fide vera fiant bona opera, dicto modo: quomodo dici potest, opera hac bona, iustificationem præcedere, eamq; mereri? cum homo fide iustificetur coram Deo, sicut dicitur: Iustus fide sua vivit: & nisi à iustificato antea per fidem homine, opera fiant, Deo non placeant. Aut facite inquit Salvator, arborem malam, & fructus eius malos. Et quid quaeso est, ante iustificationem, ex fide facere bona opera? Si enim fidem veram quis habeat, ea ipsa iam esse iustificatus, Rom. 1. 3. 4.

Pugnant itaq; spinæ istæ, & opiniones, ac dogmata Sophistarum, cum Apostolo, totiusq; Scripturæ S. & fidei analogia: cum natura, cum experientia, & cum ratione insaniant isti, quidq; dicant, & de quibus affirmant, planè ignorant.

Permirus igitur videtur, & esse, quod scribitur à Canonico, ex sentina Scholastica doctrina, opera bona iustificationem præcedentia, ex fide fieri, eaque iustificationem aliquo modo mereri, merito congruitatis: Cum prius arborem bonam fieri oporteat, hoc esse, hominem iustificatum per fidem, vel ex fide, postea bonos proferre fructus.

Apagesitis igitur in malam rem, Sophistæ, cum isthac vestra garrulitate, impostura, impia, inq; Christi sanguinem contumeliosa doctrina, quam non sine blasphemia sanguinis Christi, in Ecclesiam Dei inuexistis, & iam mordicus summa cum impietate, in cæca luce verbi Dei, eiusq; testimonijs consentientibus, quæ hæctenus proposuistis, sed, ut video, cæcis, retinere conamini.

Fol. 23. 24.

Ezech. 18.

Quod verò de hoc Scholasticorum friuolo, frigido addo & impio commento, inquit, ne suspectum aut novum videatur, sed vocem Scripturæ & Patrum: testimonia quædam inde proferre, quibus eam confirmare laborat, sed operam perdit homo ille. Nam quod Propheta inquit: cum converterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit. Et alibi Propheta: convertere mihi ad me, & ego convertar ad vos. Conciones sunt pænitentiae, & le

galt

gales sententia, atq; præcepta, ex quibus non sequitur: Ergo homi-  
 nes hoc præstare suis viribus possunt. Non enim docent, quid nos  
 possimus, sed quid debeamus facere. Auertere se ab impietate sua  
 & ad Deum se conuertere, nequaquam humanarum esse virium,  
 sed Dei opus per Spiritum sanctum. Sicut luculenter idem Prophe- Ezech. 36.  
 ta docet, vnde id, quod Deus requirit ab eis, conuersionem nempe ad  
 se, accipiendum sit, suo nempe munere, dum dicit: Auferam cor lapi-  
 deum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum & Spiritum me-  
 um ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambu-  
 letis & iudicia mea custodiat. Cum hoc consonat & alius, qui hoc Ierem. 31.  
 ipsum nos docet: Conuerte me Domine, & conuertar. Postquam  
 enim conuertisti me, egi pœnitentiam.

Sententia autem loci istius Ezech. hæc est: Cum impius ege-  
 rit pœnitentiam (Loquitur autem non de Papisica pœnitentia, sed  
 vera & Christiana, qua consistit in contritione, fide in Christum,  
 quam sequuntur fructus digni) cum hoc modo fuerit à Deo per Spi-  
 ritum sanctum, ablato corde lapideo, & dato corde carneo: Spi-  
 ritus S. conuersus, seruabitur, non morietur, non damnabitur.  
 Deus enim hoc modo pœnitentiam agentibus, peccata condonat, &  
 memoria eorum ita delebitur, ac si nullum vnquam peccatum ad-  
 misissent.

Etsi autem nemo sine pœnitentia iam dicta saluatur: tamen  
 salus nostra non operibus nostris, sed gratia Dei in Christo nobis  
 exhibitæ, cuius hoc est opus, adscribenda erit. Aliàs impius, fue-  
 rit Saluator sui ipsius. Possæt enim se suis viribus ad Deum, à sua  
 impietate conuertere, & sic animam suam: quod solius Dei est, vi-  
 uificare & saluare. Quo quid absurdius? quid magis impium? Ierem. 17.  
 Maledicta hæc fiducia idololatrica, & persuasio Satànica.

Talis est de deprauatio & illius loci: Quotiescunq; ingemuerit Fol. 24.  
 peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. Ergo ca.  
 ne per

ne per & propter nostros gemitus, remissionem peccatorum homo meretur & iustificationem? O cæcas hominum mentes, ea quæ Christi propria sunt, suis operibus adscribunt hypocritæ. Non enim nostri, sed Christi gemitus, labores, dolores, sudores, crux, Mors & Resurrectio, bona ista nobis pepererunt.

Similiter & huius: vidit Deus opera eorum, & misertus est.

Ion. 3. *Hic hypocritæ, non nisi oculis carnalibus, ieiunia Niniuitarum, & cineres vident, quemadmodum vacca portam nouam. Fidem verò Niniuitarum, quia res est spiritualis, ipsi verò capti mente, & carnales, non vident, de qua dicitur in precedentibus ibidem: Et crediderunt viri Niniuitæ in Domino. Ex qua fide, postea profecta sunt illorum bona opera: ideoq; domino placuerunt. Arbor enim bona, bonos fructus facit: Et non è contra, opera quæ sunt fructus, arborem bonam, vt volunt Pharisei nostri, faciunt.*

Luc. 7. *Locus Luca, Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum, nihil ad rem facit: Et sanè mirum est, Hypocritas adeò excæcatos splendore suarum opellarum, vt non videant, quod ex parabola tota apparet: Christum non dilectioni peccatricis, meritum remissionis peccatorum tribuere: sed ab effectu ostendere, quòd multa ei sint condonata peccata, quia multum & plus diligit, quàm phariseus, qui se iustum antea reputabat.*

Fol. 84. & sequentibus.

Gen. 4. *Ad meritum igitur, quòd attingit operum, ante, in, vel post iustificationem: id ex Scriptura Sacra probari non potest, sicut iam ex Testimonijs ab Aduersario prolatis apparet. Quemadmodum etiam vocabulum MERERI & meritum, in hac significatione, quòd ego sciam, in Scriptura S. nusquam extat, nisi de Cain, qui inquit: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniã merear. Sicut & hypocritæ remissionem peccatorum mereri volunt. Quemadmodum Thomas Scholasticorum Princeps, non absq; grandi blasphemia, dicere non est veritus: Omnem actum charitatis absolute mereri vitam æternam. His, quid Christo opus est? scilicet, vt primam gratiam mereatur. O cæcos hypocritas.*

Deinde

Deinde, ad Patrum testimonia, quod attinet, quibus inter-  
 tum, aut potius sigmentum Papisticum de merito congrui & condi-  
 gni, probandum instituit: non laboramus admodum in sententijs Pa-  
 trum conciliandis, quod magno labore facere studuit Lombardus:  
 quanto id factum sit emolumento, non disputo. Nam aut idem senti-  
 unt, & loquuntur, quod Apostolus Paulus, cuius vnicam recitavi-  
 mus sententiam, cum qua tamen Prophetæ omnes, Apostoli omnes  
 consentiunt, & bene est: Aut diuer sum, & non tanti nobis est illorum  
 auctoritas, vt sine scriptura loquentibus fidem illis habeamus. Sicut  
 nec à nobis, quæ ipsorum est pietas, hoc postulant. Augustinus certe  
 in disputatione contra Hieronymum, vnum Apostolum Paulum  
 opponit & præfert omnibus Patribus. Et sapius commodius sense-  
 runt, quàm locuti sunt. Quemadmodum etiam vocabulo Meriti, &  
 mereri abusuè vtuntur, pro consequi. Maria meruit concipere Chri-  
 stum: quod ipsa de se negat, & singularem Dei erga se clementiam &  
 misericordiam prædicat. Quemadmodum & Elizabeth ait: Et ô  
 beata, quæ credidisti. Sicut & Ambrosius: Latronem Paradisum  
 meruisse scribit. Quemadmodum & Augustinus: Naaman Syrum,  
 sanitatem meruisse, hoc est, consecutum. Nec hoc ignoramus, Patres,  
 vt excitarent homines ad studium bonorum operum, plus æquo me-  
 ritis illis tribuisse, argumento inseruientes magis, quàm par erat.  
 Quod facile multis exemplis docere promptum esset.

Epi. 19.

Quòd si ergo isti omnino improbè, contra Scripturam, Patres  
 vr gere non desinant, Patribus Patres opponemus. Pater fuit Au-  
 gustinus, qui scripsit: Gratia, est Electis & vocatis, omne meritum.  
 Pater fuit & D. Bernhardus qui inquit: Meum proinde meritum  
 miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quàm diu ille mise-  
 rationum non fuerit. Quia si miserationes Domini multæ, multus ni-  
 bilominus ego in meritis sum.

August de correptione & gratia, cap. 7

Bernhardus Serm. 61. super Cantica.

Quòd verò absurdum hoc sequi ait, vt Deum Personarum re-  
 spectum habere concedendum sit, si negetur iustificationem precede-

Fol. 22.

re debere motus, dispositionem, siue opera, quibus ad gratiam dispo-  
namur. Neq; enim, inquit, aliam causam, cur Deus vni potius, quàm  
alteri gratia infundat, inuenire possumus, nisi quòd vni magis dispo-  
situm, & motibus diuinis magis respondere inueniat, quàm alium.

O cerq; quaterq; miserum Theologum Canonicum, qui ad huc  
linguam Spiritus S. in Theologia, cuius se doctorem proficitur, igno-  
rat: nesciens in hac disputatione, quid gratia, quid fides, quid iustifica-  
tio, vt & hic gratiam de qualitatibus intelligit, fidem pro sola noti-  
tia Christi: ex quibus opera bona fiant, quæ mereantur remissionem  
peccatorum, & hæc antequam homo iustificetur. Hæc verè monstra  
sunt opinionum humanarum. Sic ignorat, quid personarum sit respe-  
ctus. Persona enim est qualitas, & quicquid extra causam est princi-  
palem, vt nos ab eius consideratione abducat, quod in causa conside-  
rationem venire nõ debet. Qualia sunt in iudicijs, potentia hominis,  
qui sistitur coram tribunali, honor, genus, diuitiæ, gens, natio. Sic  
Deus in suo iudicio & iustificatione peccatoris, verè respectum & de-  
lectum personarum haberet, si, vt hic Doctor vult, præparationes,  
dispositiones, vel opera respiceret & propterea gratiam infunderet,  
cum n. hil horum in iustificatione hominis respiciat, sed ex mera &  
gratuita clemètia eligit, vocat & iustificat in Christo absq; vllò ope-  
rum respectu, quemcunq; gratuito suo fauore complectitur: Iuxta il-  
lud: Antequam quicquã boni vel mali egissent, vt secundum electi-  
onem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante di-  
ctum est: ei. Maior seruiet minori: Iacob dilexi, Esau odio habui.  
Itẽ Misereor cuiuscunq; fuero misertus, non ex operibus, ne quis glo-  
rietur. Item non est currentis, nec volentis, sed miserentis Dei. Sed  
& alius Prophetæ ait: Domine, oculi tui respiciunt fidẽ, quã in quo-  
cunq; inuenerit, gratis est illi. Et quæ quæso præparatio fuit Iudæo-  
rũ in die Pentecostes, qui ridebant Apostolos varijs loquentes lin-  
guis magnalia Dei: quos Petrus vocat Christi crucifixores, qui vni-  
ca eius concione conuersi sunt ad fidem in crucifixum? Viri, inquit,  
fuerunt

Rom. 1.

Rom. 9.

fuerunt religiosi, Iudæi, populus Dei, & Profelyti, ascendentes ad templū Domini Hierosolymā ad festum Pentecostes, secundum præscriptum verbi Dei, precationibus se preparauerunt? Hypocritica hæc fuere (cuiusmodi hodie vestra est Religio) quæ prolixè Dominus in illis per Prophetam suum damnauit, Isa. 1. vide & lege, in quibus etiam vestras preparationes damnat. Et vā, Christus Phariseis & Scribis denunciavit, qui circumeant mare & aridam, ve faciant unum profelytum, quod cum factum fuerit, duplo eum faciant filium gehenne amplius, quàm autè fuerat. Matth. 23-

Et ve scias Domine Canonice, vestra etiam hora Canonica, tantum abest, vt Deo sint grata, vosq; per eas ad iustificationem disponatis, vt hoc sine recitatis, peccata esse, pronunciare non dubitemus. Vertatur, canit Prophetæ, oratio eius in peccatū. Hæc te ignorare scio. Sed noli mirari cum Nicodemo, Principe Phariseorum, & Magistro in Israel: Spiritus S. in Scriptura S. sic loquitur & docet. Psal. 109-

Huius si vos potius, quàm Scholasticorum vestrorum discipuli esse non dedignaremini, felicius in eius schola proficeretis, quàm cum ea docere vultis, quæ nō intelligitis, & impia sunt, verbo Dei damnata. Fol. 91-

Quero inquit: si bona opera Deum non conciliant, an ipsum ad iracundiam prouocent? Alterum enim verum esse necesse est: cum hic nō detur medium. Si autem Deus operibus sanctis & iustis offenditur, quod Lutheranos sentire, conciones eorum Germanica, in quibus nos bonis operibus indignationem & iram Dei prouocare clamant & vociferantur, ostendunt: sequitur, quod Deus peccatis delectetur. Cur ergo bona opera præcepit, & mala prohibuit?

Respondeo: O acumen ingenij & Disputatorem accerrimū, inuictumque argumentum. Non esse autem dilemma, argumentū aduersarij, hinc facile probatur, quia dari potest (quod iste temerè negat) mediū, quod hoc Syllogismo demonstratur: Quicquid Deum non conciliat, eū ad iracundiā prouocat secundū Canonicū Agriculturā exercere, quod Adā fecit, eiusq; posterij, & Isaac & c. plantare vineas, quod



quod Noah fecit: uxorem ducere, vt sancti Patriarchæ, Reges, & Prophetæ, sedere ad gubernacula Reipublicæ, & alia sexcenta, Deum non conciliant: quod non inuiti dabitis, qui aliàs hæc, tanquam mundana & carnalia, præ vestris exercitijs, contemnitis. Ergo eum ad iracundiam prouocant? Quorsum, Domine Doctor, cum tua cornuta argumentatione? Quæ quàm ridicula sit, imò absurda, omnes facillè intelligunt. Sed huc te meritù congrui & condigni adducit. An non enim ista vitæ genera, agricultura, Magistratus, coniugium, Dei bonæ sunt Ordinationes, quæ Deo probantur, nec sunt peccata, & tamen Deum non reconciliant?

Quod verò nostras, siue cantiones siue cõciones atinet, de bonis operibus, quòd illis homines mereantur iram & indignationẽ Dei: non simpliciter id dicitur, sed si fiant Iudaica, Papistica opinione meriti remissionis peccatorum, iustificationis & vitæ æternæ. Sicut inquit Dominus per Prophetam: In censum abominatio mihi est: solennitas vestras odiuit anima mea &c. Nota est parabola Pharisei, de qua & suprâ. Aliàs credentium bona opera, ex fide facta, placet Deo, sed eum non placant aut conciliant nobis. Hoc enim Mediatoris vnici Iesu Christi est, qui, vt testatur scriptura, & canit Ecclesia in die resurrectionis gloriosæ, Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliauit peccatores.

Isa. 1.  
Luc. 18.  
Fol. 92.  
Isa. 43.  
2. Cor. 5.  
Eph. 2.  
Colof. 1.

Fol. 92:

„ Statum controuersie inter nos & Papistas & discrimen doctrinæ veriusq; de iustificatione ponit. Sed nostram non commode, nec proprie proponit, de qua in precedentibus sæpè est dictum. Sed quia ipsi hanc proponere placuit, non egemus hoc patrono, vt nostram agat causam, quod nos multò feliciter possumus. Quæ hæc est: Hominem peccatorem iustificari, hoc est, iustum reputari coram Deo, non qualitatibus, seu virtutibus Theologicis infusis, sed sola Dei gratuita misericordia, per & propter Christum, eiusq; meritum, gratis, sola fide apprehensum, absq; dignitate, vel merito priorum operum, remissis peccatis, & nobis Christi iustitia imputata. Hoc modo

modo, accepta remissione peccatorum, placet Deo homo, & iustus reputatur, adoptatur in filium Dei & heredem vita aeterna, non propter merita propria, sed gratis donantur haec omnia, propter Christum fide apprehensum, iuxta haec Scripturae testimonia: *Iustificati gratis, per ipsius gratiam, per redemptionem, quae est in Christo Iesu &c.* Rom. 3. Et ibidem: *Arbitramur hominem iustificari fide absq; operibus.* Et alibi: *Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentiam scientiae Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia, detrimentum feci, & arbitror ut stercoratus, ut Christum lucrifaciam, ut & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Iesu, quae ex Deo est iustitia, in fide ad cognoscendum illum & virtutem resurrectionis eius &c.* Et alius Apostolus: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomen illius. Quod si filij, ergo & haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Iesu Christi: cuius donum est vita aeterna, & non ex operibus, ne quis glorietur. Hic verus est & sacer chori Prophetici & Apostolorum consensus perpetuus totius Ecclesiae omnium temporum, quod per & propter solum Christum accipiant remissionem peccatorum, iustitiam & vitam aeternam, omnes, qui credunt in eum. Hoc modo etiam Patriarchae & omnes sancti saluati sunt, in veteri Testamento, ut Petrus in Concilio Apostolorum testatus est, suo suffragio.* Phil. 3. Iohan. 1. Rom. 8. 6. Act. 4. 10. Act. 15.

Audiamus iam spinosam & intricatam, sibiq; contradicentem Papistarum de iustificatione opinionem: *Ecclesia verò Catholica fatetur, nullis nos meritis, aut operibus precedentibus, quibus iustitiam de condigno meriti sumus, iustificari: sed SOLIUS ESSE FIDELI, cum ceteris motibus iustificationem, ut causam, vel tempore, vel natura precedere. Hominem verò NON SOLA FIDE iustificari, sed etiam diuinae legis obseruatione, charitate praesertim, quae vniuersa bona opera gignit, ut iustitia hominis, non sola sit fides, ut haeretici volunt, sed etiam charitas. Vitam deniq; aeternam, tanquam mercedem bonis deberi operibus.* Fol. 93. Fol. 94.

Hæc verè monstrant & prodigia verborum & rerū impijsi-  
marum. Negat Canonicus, operibus præcedentibus iustificationem,  
hominem mereri iusticiam de condigno, sed non negat de congruo,  
quod tamen longè magis est impium, & Scriptura d. damnatū, quod  
suprà ostensum est. Deinde dicit, solius esse fidei iustificationem: sed  
mox vertigine correptus, quod antea dixerat, solius esse fidei, ne so-  
li tribuat fidei, mox addit, cum cæteris moribus: Item, non sola fide,  
Et ita sibi ipsi in eodem commate contradicit, solius & non solius ef-  
se fidei iustificationem. Si enim solius est fidei: quomodo cum sola fide  
coniungit alios motus: si alij motus accedant, quomodo solius est fi-  
dei? Quodq; addit, hominem non sola fide iustificari, sed etiam legis  
obseruatione, & præsertim charitate. Item vitam æternam operi-  
bus, tanquam mercedem deberi. Impietas hæc, Scripturæ testimonijs  
illustribus, in præcedentibus est refutata.

Fol. 94.

Fol. 95.

Quod verò scriptum est: Deum unicuiq; secundum opera sua re-  
tributurum. Item mercedem nostram fore copiosam in cælo. Et Chri-  
stum etiam in extremo iudicio sententiam secundum opera pronun-  
ciaturum.

Respondeo: in his & consimilibus alijs Scripturæ locis omnibus  
nusquam dicitur: vitam æternam deberi bonis operibus tanquam  
mercedem. Est enim illa solus & unica obedientiæ Christi meritum.  
Scipendium, inquit Apostolus, peccati mors. Donum autem Dei vi-  
ta æterna per Christum Iesum Dominum nostrum, qui solus torcu-  
lar calcavit, & non vir de populis secum, nobisq; eam esse meritum.

Rom. 6.  
Iha. 63. 4+

Nota.

Quod verò ad formam iudicij ex remi attinet, ierum cæci  
sum Pharisei, qui tantum videt & audiunt: Esurivi & cibastis me.  
Sed non audiunt vocem Christi, qua electos est compellaturus: Veni-  
te benedicti Patris mei, hereditate accipite regnum, quod vobis est  
paratum ab initio. Quosnam possidere vult regnū calorū Christi?  
Benedictos Patris. Et unde benedicti? per semē Abrahæ, hoc est Chri-  
stum, qui nobis Deum Patrem fecit Ioh. 1. 20. & c. in quo benedicuntur  
omnes credentes. Et non simpliciter dicit, possidere, sed hereditare.

Eph. 1.

tio iure. Vnde Heredes? quia filij, ideo hæredes, hæredes quidē Dei, Rom. 8.  
 cohæredes autem Christi. Et vnde filij Dei? non ex sanguinibus, nec  
 voluntate carnis, sed ex Deo nati. Dedit enim potestatem filios Dei Ioan. 1.  
 fieri, credentibus in nomen ipsius. Hereditas ergo hæc filiorum est.  
 Quod si ex gratia adoptatis in filios per fidem in Christum, contingit  
 hæreditario iure, certè non est meritum nostrorū operum. Sicut sæpè  
 contingit, vt Pater moriatur, filio adhuc in cunis, imò in vtero ma-  
 ternò, vnde posthumus nascatur. Quod nam horum meritum? nul-  
 lum, imò etsi filij laborant & seruiunt parentibus, tamen hæredita-  
 tem paternam non merentur operibus. Serui enim & mercenarij  
 plus laborant, nec tamen partem hæreditatis cum filijs accipiunt,  
 sed domo eijciuntur, vt Scriptura S. loquitur. Ita & vos Papistæ  
 mercenarij. His non contentus Christus addit regnum cælorum pa-  
 ratum esse electis Dei filijs ab initio. Non dicit eos parasse suis operi-  
 bus & meritis, sed paratum vobis. A quo? A Deo per Christum. Et  
 quando? ab initio. Cum nondum essent, nedum aliquid boni operati es-  
 sent. Elegit nos inquit Apostolus, in Christo, antequam fundamenta Eph. 1.  
 mundi iacta essent. Quid ergo miseri & sordidi opella vestra iactatis?  
 Non cælum, sed infernus vobis debetur mercenarijs, & operarijs  
 iniquitatis.

Sed quid sibi Christus vult, cum dicitur est: Esuriui enim &  
 cibastis me &c. Respondeo: Loquitur de fructibus fidei, quibus eam  
 declarauerint, operibus scilicet charitatis erga suos fratres mini-  
 mos. In quam sententiam Iacobus quoq; scribit: ostende mihi fidem Iacob. 2.  
 tuam absq; operibus, & ego ostendam tibi fidem meam ex operibus.

Et ita iudicabit secundum opera, sic etiam dabit vniciq; secun- Apo. 2. e.  
 dum, sed non propter opera sua. Interim verò non negamus,  
 bona credentium opera, sua habere præmia, cum in hac, tum in  
 futura vita, & in regno cælorum, quod & antea dictum est & respon-  
 sum suprâ: sed non ipsum cælum, aut ipsam vitam æternam pro-  
 pter opera dabit: verum vitam æternâ dabit verè credentibus, & ex

Luc. 17.

fide bonum operantibus, & sic secundum, sed non propter opera, sed propter Christum gratis, & quare non propter opera daturus sit vitam eternam, ipse docet Saluator, cum dicit: Si feceritis omnia, quaecumq; mandata sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debui-  
mus facere, fecimus. Et quanta haec est Pharisaeorum superbia & praesumptio, quod se suis sordidis, menstruatibus, & stercorearijs operibus, vitam eternam mereri, non verentur gloriari, cum solius Christi hoc sit opus. Itaq; ex se Christos faciunt Iesus, in eiusq; se locum & thronum collocat. Vnde cum Satana, superbo Spiritu, si iam per sua opera in caelum irrepsissent, in barathrum inferni precipitarentur.

Fol. 96.

Ad excitandos, inquit, homines ad virtutum studia vitam eternam nam operibus piorum mercedem esse propositam, addendum erat.

Respondeo: Non falsis, impijs & idololatriae, atq; superstitionis plenis encomijs, & sic mendacijs homines ad studium bene operandi, excitandi, vt interea honos Christo debitus, imminuatur. Nunquid indiget Deus vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Suppetunt enim aliae rationes satis graues in Scriptura sacra, & vera bonorum operum encomia, quibus animi hominum accendantur, de quibus alibi.

Fol. 97.

Quod vero ait: Maiores nostri statuerunt in medio Christum seruatore nostrum dicentem: Merces mea mecum est, & opus eius coram illo: Respondeo, Canonicum male detorquere & deprauare locum Prophetiae, ad remunerationem nostrorum operum, quam Deus nobis sit redditurus. Promissio enim est de vetero Messia, qui tanta fortitudine sit instructus, vt de victurus sit peccatum, Diabolum, mortem & infernum; tantumq; illius esse meritum, vt Deus Pater caelestis, omnibus in eum vere credentibus, vitam eternam, quam ipse meruit, sit donaturus.

Fol. 97. 98.

Lutheri sententiam in Ionam, quod attinet, vbi inquit: Exemplum habemus in Iona, vt recte discamus vim misericordiae & gratiae Dei, ne nostris meritis fidamus, aut de meritis terreamur, & sciamus, nec in peccatis nos damnari, nec bonis operibus saluari.

Miror

Miror quid in his desideret Canonicus. An verò suis vult  
 considerare meritis, quemadmodum Pharisei confidentes in semetipsis, Luc. 18.  
 tanquam iusti, bonis suis operibus saluari, & ex se facere Deum sal-  
 uantem? Aut in peccatis suis desperare? Certe quia quotidie pecca-  
 mus, & septies in die cadit iustus, non tot bona opera faciet, ut pec-  
 cata expiet quotidiana, præsertim, cum vtrumq; facere teneamur,  
 & peccata cauere, & bona opera facere. Vnde, ad mille non vnum,  
 inquit Iob, respondebimus. Rectè ergo Lutherus ibidem: Et scia-  
 mus, nos in peccatis non damnari, scilicet, verè pœnitentes & cre-  
 dentes in Christum (quæ Phariseis istis vox est execrabilis) neq;  
 bonis operibus saluari, quia hoc est Christi officium proprium, qui  
 ideo Iesus est dictus, quia saluum faciet populum suum à peccatis  
 eorum. Vnde addit: bona opera nostra nihil sunt, nihil valent co-  
 ram Deo (ad iustificationem & salutem æternam promerendam)  
 sed Deus vult, ut credamus, sola nos ipsius misericordia & gratuita  
 bonitate, absq; meritis & operibus nostris saluari & iustificari, cre- Rom. 3.  
 dentes in Christum. Sicus Apostolus testatur, inquiens: Notum Act. 13.  
 igitur vobis sit, viri fratres, quia per hunc (nō per opera vestra) vo-  
 bis remissio peccatorum annuntiatur, ab omnibus, quibus non po-  
 tuistis in lege Moysi iustificari: IN HOC (CHRISTO) OMNIS  
 QUI CREDIT IUSTIFICATUR.

Hæc fides specialis, non ignaua est aut recors, nulla bona  
 opera ferens, ut Canonicus calumniatur temerè, iudicans alienum Fol. 98.  
 seruum: Sed quia bonam facit arborem, operosa est valdè, omnis  
 generis bonos fructus ferens.

Quod verò attexit: Patrem cælestem, pro Eleemosynis, ie- Fol. 99.  
 iunijs, & precibus, regnum cælorum redditurum: loquitur & do-  
 cet, sicut mercenarij Pharisei, qui nolunt, diuites operibus, vitpore  
 qui portauerunt pondus & æstum diei, gratis illud accipere, & pa- Matth. 20.  
 trem familiâs vterò accusant, quod tam bonus sit, & denarium  
 vnicam horam laborantibus dari iubeat.

22 Caterum quod infinitam quandam vim, & efficaciam à Chri-  
 23 sto, operibus communicatam esse affirmat, ut scilicet iustificent cum  
 24 fide, falsissimum est. Christus enim gloriam hanc suam, & vim iustifi-  
 Isa. 42. candi, vitamq; æternam promerendi, nequaquam operibus bonis com-  
 municauit, sed sibi soli hanc tribui vult laudem. Nec etiam pro no-  
 25 stris bonis operibus passus est & mortuus, ut illis vim & efficaciam  
 Isa. 42. 53. iustificandi communicaret. Laudem enim redemptiois, iustificatio-  
 nis & saluationis nulli alteri cuiquam, tandem rei, vult tribuere,  
 sed notitia sui, iustificabit, inquit Deus, Seruus meus iustus, multos,  
 Rom. 4. quia iniquitates eorum ipse portabit. Sed pro peccatis nostris est mor-  
 Isa. 53. tuus, ne propter illa verè credentes in ipsum damnemur, castigatio  
 super eum, ut nobis esset pax.

Fol. 100. 26 Et quod dicit: nec tamen fidem excludimus à iustificatione,  
 27 quemadmodum Lutherani charitatem & eius opera, sed utriq; vir-  
 28 tuti iustitiam nostram acceptam ferimus.

Ex his & alijs apparet, quid de fide sentiant, cum eam vnà cum  
 charitate iustificare docent: nempe, quod fides, tanquam virtus &  
 qualitas infusa, vnà cum charitate iustificet, nihil minus sentiētes,  
 quàm quod sit fiducia, at quiescens in reconciliatore & propiciatore  
 1. Cor. 1. vnico Iesu Christo, qui sua obedientia nobis factus sit à Deo Patre,  
 sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, de qua nos disputamus,  
 non excludentes aut separantes ab ea opera, ne adsint, imò absq; his  
 fidem nunquam esse asserimus: sed in articulo iustificationis, distin-  
 guimus fidem & opera, hac à causa illius excludentes, soli q; fidei, Chri-  
 stum apprehendenti tribuimus, non tanquam virtuti, sed tanquam  
 medio, instrumento, & manui Christum apprehendenti, qui nostra est  
 iustitia. Et sic ut maxime coniuncta semper sint fides & opera, non  
 tamen simul iustificare dicimus hominem. Est ergo fallacia, secundum  
 non causam, ut causam, quando dicitur ab aduersarijs, fides & opera  
 sunt coniuncta, ergo simul iustificant. Neq; ergo sola opera, neq; cum  
 fide

fide coniuncta simul, sed sola fides iustificat, non quidem sua dignitate, quòd præstantior sit virtus, sed quia sola, vt dictum iam, manus est, medium & instrumentum, quo Christus, qui solus est nostra iustitia, apprehenditur.

Quæso autem te, mi homo, qui ad dicendum adeò es promptus, Fol. 100.  
vbi ego & in qua propositione Dissertationis meæ, contra quam tu scribis: vos, vt loqueris, calumnior, quòd operibus vestris tantum tribuatis, & confidatis, tanquàm illis solis, absq; Christo, & eius gratia debeatur vita æterna. Quod si maxime scripsissem, certè hæc vestra est sententia, recunq; verborum præstigijs ludatis, de merito congrui.

Etsi enim fidem addatis, eamq; cum charitate coniungatis, in iustificatione: tamen non docetis veram fidem, quæ est fiducia in Mediatorem Christum, & eatenus eam iustificare, quatenus eum, nostram iustitiam, apprehendit, sibiq; applicat, quæ specialis illa est fides, quæ à vobis exagitur & damnatur, qua credit vnusquisq; sibi remitti peccata propter Christum: Et Deum per & propter eundem placatum sibi remittere peccata & iustificare. Sed eam tantum annumeratis (quod verba & sententia vestra volunt) quatenus opus est, vel qualitas infusa & virtus. Sicut docent homines illis virtutibus Theologicis iustificari, eisq; confidendum. Sicut hîc inquit: veri q; virtuti, fidei & charitati iustitiâ nostram acceptam ferimus. Quod & infrâ dicit: Semper enim docuerunt & docent Fol. 101.  
nostri, iustificari homines, ex fide & dilectione ac operibus bonis.

Et quid sibi obsecro volunt, hæc operum vestrorum encomia & laudes immodicæ, quòd illis debeatur merces regni cælorum & vitæ æternæ, etiam ex condigno. Et sicut Fr. Petrus à Soto scripsit: Inrepedè docemus, his tribus virtutibus, fidei spei & charitati in iudicio Dei confidendum. Quod cum nimis videatur absurdum, in Theologia: Canonicus noster hic quasi correctione subiicit, scribens: Nos cum bona opera commendamus, & illis studemus, non tamen  
illis,



„ illis, quæ nos facimus, certò vitam illam perennem deberi, affir-  
 „ mare audemus, cum scriptura dicat: Nescit homo, verum amore  
 „ vel odio dignus sit.

Hic videre est, quàm pulchrè inter istos Doctores conueniat.  
 Frater Petrus ait: Intrepidè docemus, his tribus virtutibus, in iu-  
 dicio Dei confidendum. Canonicus verò inquit: Nos cum bona opera  
 commendamus, non tamen illis, quæ nos facimus, certò vitam  
 illam perennem deberi, affirmare audemus. Ille intrepidè docet  
 confidendum operibus. Hic non vult certò affirmare.

Sed heus Protheu, quid ais & agis? Hactenus enim pro bonis  
 operibus, quantis omnino potuisti viribus, pugnaisti, homines mereri,  
 eisq; tanquam mercedem deberi vitam æternam de condigno. Iam  
 verò de vita æterna dubitare incipis, alijsq; tecum dubicandum ef-  
 se doces. Et ita auditores tuos, dubios inter cælum & infernum he-  
 rentes, relinquis. Non es pastor bonus, quia non ad bona pascua,  
 sed infecta veneno humanarum, incertarum ac dubiarum doctri-  
 narum, oves tuas deducis. Non sic Apostoli, quorum vnus scripsit:  
 Scio cui credidi, & certus sum (non inquit dubito) Ne verò obij-  
 cias, quod soletis, Paulam peculiarem habuisse reuelationem, ideo  
 de se scripsisse, certus sum: Quare mox in eadem periodo suos audi-  
 tores coniungit, quod neq; mors, &c. nos separabit à charitate  
 Dei, quæ est in Christo.

Rom. 2.  
 2. Tim. 1:

1. Ioh 3.

Et alter: Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quod  
 erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei eri-  
 mus, &c.

Sed de dubitatione Papistica, & hac Ecclesiasticis sententiis,  
 inferius copiosius dicendi locus se nobis offeret.

Fol. 122.

„ Interim verum est, quod dicit, ex doctrina ista vestra Ponti-  
 „ ficia, de operum iustificatione, & merito vita æternæ per opera, ne-  
 „ minem posse de sua salute certiore fieri, quia nemo legi facis facit.  
 „ Quod Argumentum est damnata à Deo doctrinæ Pontificiæ. Deus  
 enim

enim *Opt. Max.* quàm certissimos de nostra salute fieri nos voluit. Ideo verbum dedit: ideo filium misit: ideo Sacramenta, tanquam fulcra infirmæ aliâs fidei, instituit, quibus omnibus & singulis Deus nos de nostra salute certos fieri voluit. Hac de causa etiam Aposto- Rom. 4.  
 lus aliud doctrinæ genus, quàm legem condemnantem, ex reuelatione Spiritus S. attulit, quod nos quoq; profiteamur. Ideo inquit, ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Hanc doctrinam de gratuita fidei iustificatione, per & propter solum Iesum Christum, eius obedientiam & meritum, vos Papicolæ agnoscere & amplecti, vestrisq; auditoribus proponere non vultis, ut certi de salute sua fiant, vitamq; ex dono & per gratiam Domini nostri Iesu Rom. 6.  
 Christi consequantur æternam: sed dabios semper & incertos in fictitium tandem Platonicum & Poeticum purgatorium ablegatis: quæ ipsorum maxima est, sed miserrima consolatio. De quo rationem redderis in nouissimo iudicio, iusto iudici, quod gregem sanguine ipsius redemptum tam miserè in barathrum inferni seducat is vobiscum.

Quod verò doctrinâ nostram de fidei solius iustificatione, per & cc  
 propter Christum fide apprehensum, confidentiam & temeritatem à cc  
 scriptura dici & damnari, ait: manifestum esse mendacium, iam osten cc  
 sum est. Hanc caluniam non nostris, sed Augustini verbis refuta- Augustinus in Psal.  
 bimus, qui ita scriptum reliquit: Audebo ergo dicere, quoniam sanctus 84.  
 sum? Si sanctus tanquam sanctificans, & nullo sanctificante indigens, superbus & mendax sum. Si autem sanctus sanctificatus, dicat vnusquisq; fidelium, sanctus sum, **NON EST ISTA SUPERBIA ELATI**, sed confessio non ingrati. Si autem dixeris, te **SANCTVM ESSE EX TÈ, SUPERBVS ES**. Rursum fidelis in Christo, & membrum Christi: si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Itaq; nec superbus sis, nec ingratus.

Sed nos iustè eum Christo superbam hypocritarum fiduciam in Fol. 103.  
 opera propria, damnamus, de qua & hîc Phariseus: Vita piè & reli- cc  
 giosè transacta, magnâ præstat homini fiduciam & consolationè. Sed cc  
 audi Prophetam: *Va, qui confiditis in mendacio.* Imò maledictus, Ierem. 17.

N

qui

qui confidit in homine: sic etiam humana operum iustitia. Fiduciam  
 habe in Domino, inquit Salmo: Et benedictus vir, qui confidit in Do-  
 mino, & erit Dominus fiducia eius. Iustificacione describit, quod  
 non solum sit peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio  
 interioris hominis &c. Vbi coniungit & non distinguit inter iustifi-  
 cationem & renouationem: cum tamen sint diuersa Dei opera, &  
 Christi beneficia, quarum illa remissione constat peccatorum, iuxta  
 illud: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum reuera sunt  
 peccata. Beatus vir, cui Dominus non imputat peccatum. Quo testi-  
 monio Apostolus & probat Iustificacionem esse remissionem, & non  
 imputationem peccatorum, ac imputatam Christi iustitiam: quae  
 omnium est absolutissima, ea videlicet, quam legi pro nobis praestitit,  
 cum non teneretur. Sed quae non rapui, inquit, exolui: & haec sola op-  
 ponitur iudicio Dei. Renouatio autem, etsi coniunctum sit Christi  
 beneficium: tamen quia propter inherens malum originale siue car-  
 nē, non est perfecta, sed tantum inchoata: Ideo coram tribunali Deo,  
 ubi summa requiritur perfectio, consistere non potest. Quare haec sancto-  
 rum etiam renouatio, non ingreditur Iustificacionis definitionem.

Concil. Trident.  
 Sess. 6. cap. 7.

Et tamen hanc renouationem Romanenses, Canonicus hic, &  
 Conciliabulum Tridentinum, formalem faciunt & constituunt iusti-  
 ficacionis causam aperte. Verba concilij haec sunt: *Vnica formalis  
 causa Iustificacionis est Iustitia Dei, non qua ipse iustus est (ut do-  
 cēt Heretici) sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, re-  
 nouamur Spiritu mentis nostrae, & non modo reputamur, sed verè  
 iusti nominamur, & sumus: iustitiam in nobis recipientes, vnusquisq;  
 secundū suam mensurā, qua Spiritus sanctus partitur singulis, pro-  
 ut vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionē & cooperationem.*  
 Haec sunt, inquit Canonicus, aurea planè verba illius magni Co-  
 cilij &c. Imò plumbea quidem, sed multò deteriora, damnata, & bla-  
 sphema in Christi meritum, cui hoc tantum tribuunt, quod propter  
 illud misericordia Dei infundat nouam qualitatem iustitiae inherē-  
 tis, quae est Charitas, ut illa iustificemur. Formalis, inquit Bonauen-  
 tura

sura, Iustificationis causa est, Gratia, hoc est Charitas, quã Deus infundit. Hanc charitatem, quam isti vocant Gratiã, esse docent, quæ hominem Deo non tantum gratum, sed per gratum, non tantum acceptum, sed per acceptum reddat ad vitam æternam.

Et quidem Charitatem semper cum fide esse coniunctam, sed non vnã cum fide, verum hanc solam iustificare, docemus. Hac enim sola & non charitas, Christum, nostram iustitiam, apprehendit, vt supra ostensum est. Quod autem Apostolus describit, veram fidem ab effectu, quod per charitatem operetur: non dicit Paulus, fides per charitatem iustificat, sed dicit, esse efficax & operatur per charitatem. Longè autem aliud est, Charitas iustificat, quod nequaquam Apostolus dicit: aliud operari. Primum enim persona fide iustificatur, qua etiam homo fit iustus & viuit. Quicquid autem isti fidei tribuunt, ea ratione id intelligunt, qua est virtus & qualitas infusa, item noticia, quæ dicitur fides historica, quemadmodum hoc loco addit inquit: Nam nisi crediderimus, non tantum de re tribu-  
one, sed de Deo ipso, quod sit Deus, labuntur omnia. De fiducia verò  
in Christum propitiatorem, tantum abest, vt intelligant, quin eam  
damnent: Verba Canonici hæc sunt: Hoc tamen ingenuè facemur,  
SPECIALEM nos illã, SUPERBAM ET ARRO-  
GANTEM Lutheranorum FIDEM, quæ sola iustificare,  
nec alios comites & adiumenta ferre dicitur, iure optimo EXE-  
CRARI, REICERE, ET EXTERMINARE.

Respondeo. Reiciet ergo, execrabitur & exterminabit te quoq, Christus, quem vos reicitis, quicquid verbis proficemini. Aut n. solus, vnus totus vult esse mediator, propitiator, iustificator & redemptor, vna & sola fide apprehensus, aut nullus. Cum igitur non sola fide in Christum hominem iustificari dicatis, sed formale iustitiæ causam, quæ dat esse rei, vt Scholæ loquuntur, & cõseruat rē in esse, charitatē esse affirmetis: i deo Christus vobis nihil proderit, quod Paulus de ijs pronunciat, qui in lege, hoc est, operibus à Deo mandatis, iustitiam, vt vos quoq, iam, querebant.

Ceterum calumnia est atrox, quod doceamus, fidem alios comites & adiumenta non ferre. Minime enim charitatem à fide separamus: quam calumniam perpetuò repetunt & inculcanti mendaciter: Affirmamus enim & docemus, & docuimus semper, fidem comitè individuum habere, charitatem, sed tamen in articulo iustificationis, solam dominari fidem, nec alia ferre vlla adminicula. Aliud ergo est fidè absq; charitate esse, & aliud, eam sine charitate alijsq; adminiculis iustificare. Et qualis quæso est tua consequentia? Lutherus certus  
 „ est ex fide, sibi remissa esse peccata: conficitur igitur, Lucheranum non  
 „ posse orare, dimitte nobis debita nostra, et cum publicano dicere:

Pfal. 32.

Deus esto propitius mihi peccatori? David canit: Pro iniquitate orabit ad te omnis sanctus, si sanctus, quomodo, secundum canonicum hunc, orabit pro sua iniquitate? Respondeo. Vobis sanctulis, qui nihil rerum Theologicarum intelligitis vestrà Sophistica dementati, absurdum hoc videtur. Sed hoc modo optimè conueniunt. Quia enim quotidie, propter carnis imbecillitatem peccamus, peccata quis intelligit? Et multa sunt occulta peccata: Itè septies in die cadit iustus: Ideò quotidie oramus, dimitte nobis debita nostra, & Deus propitius esto mihi peccatori, & de remissione peccatorum sumus certi, quia Christus formulam hanc precationis præscripsit, & nos hoc modo orare docuit, simul exauditionem eius promittès. Ideò quoties ex infirmitate labimur, & etiam non cogitantes vel intelligentes peccamus, remissionem petimus, certi de exauditione, cum vos perpetuò impiè de veritate & clementia Dei, per & propter Christum verbo promissa, peccatorumq; remissione dubitetis.

Fol. 131.

„ Ad Scholasticorum impia dogmata quod attinet, non mihi  
 „ conscius sum, ea, vt prolixè hic commemorat, in scriptis meis extare. Quod ad alios scriptores nostros, respondemus iam de his, contra mendacia Bellarmini, quæ ille cum de Confessione Augustana, tum de formula Concordiæ sparsit: quem tamen Canonicus magnis adeò onerat titulis, sed laudes illi cantamus, sicut & hic Canonicus Confessionem Augustanam mirificè & mendaciter exagitat. Videmus au-

tem eam, sicuti sacram scripturam ipsam, ex cuius medullis est desumpta, sudem esse in oculis Pontificiorum. Sed hactenus, Dei beneficio, inuicta mansit, & manebit etiam porro & perpetuo contra portas inferorum, & furores Diabolorum omnium, eorumque organorum, Pontificiorum, qui extrema tentant, sed frustra.

Fol. 114. 115.

Ad discrimina inter nostram & Papisticam de Iustificacione doctrinam, quod attinet, quia in precedentibus saepe & copiose nostram exposuimus sententiam, & immotis Scripturae sacrae testimonijs confirmauimus: Aduersariorum verò ex iisdem fundamentis solide refutauimus, non opus esse repetitione superflua iudicamus. Sed haec omnia & singula inde petenda.

Fol. 115.

Vbi tamen silentio praetereundum non est Canonici mendacium impium & temerarium. Illi, inquit, praeter fidem Evangelicam suae historicam, nouam quandam specialem inuenerunt, qua Christi meritum apprehendamus, ac peccata nobis certo remissa esse statuamus: quam nos tanquam periculosam, scripturae repugnantem & temeritatis plenam, non secus ac animae pestem, abominamur & execramur, quod & paulò antè dixit, & aliquoties sicut cuculus suum coccyssum repetit.

Sed hinc non ignorantiam tantum rerum sacrarum in Theologo isto miror maximam, disputante de fide Christiana, cum non nisi communem cum Diabolo habeant, qui & ipsi historicam fidem, & quidem multò certius eam tenentes, habent. Hac certè neminem, sicut nec Diabolo, vnquam iustificari optimè nouimus.

Sed etiam blasphemiam eius execrandam (quòd specialem, hoc est, veram fidem, quae est fiducia certa, qua singuli credunt, sibi gratis per & propter Christi meritum & obedientiam, remitti peccata, se adoptari in filios Dei, tanquam nouam, animae pestem abominatur & execratur blasphemo suo ore Canonico) horresco, hominisque imperitiam in sacris, & vanitatem mentis Pharisaeae misereor: cum hanc esse & fuisse Ecclesiae Dei omnium temporum, Prophetarum, & Apostolorum, supra aliquoties sit demonstratum, in quo

Scriptura Sacra firmissima habeat testimonia. Iohan. 1. Dedit illis potestatem, filios Dei fieri, credentibus in nomen ipsius. Item, Christus dilexit ME, & tradidit semetipsum PRO ME. Et accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut gratiam inueniamus, quando auxilio nobis opus est.

” Cum scribit: Illi sola nos fide, exclusis spei & charitatis actibus,  
 ” ceterisque adiumentis à Christo constitutis, repudiatis, vnâ cum Eu-  
 ” nomio & Simone Mago, antiquissimis hereticis, iustitiam consequi  
 ” docent.

Respondeo. Non excludimus à fide spem & charitatem, ne adsint: coniuncta enim esse fatemur libenter, sed à causa Iustificationis excludimus, & transferimus in obedientiam & meritum Christi vnici saluatoris, idq; à Scriptura Sacra edocti, cum qua Scriptores Ecclesiastici plerique & magno numero consentiunt, sola nos coram Deo fide iustificari docentes: quod supra ad oculum est demonstratum. Cum Hereticis illis nihil nobis commune, sed vos Ebionitas vetustissimos Hereticos esse probamus, de quibus Eusebius: Heretici Ebionici, custodiendam censent etiam legis obseruationem, nec sufficere ad salutem SOLAM Christi existimant FIDEM.

Historia Eccles. li. 3.  
cap. 27.

Fol. 116.

” Illi denique, scribit Canonicus, in iustificatione peccata verè non  
 ” remitti, sed remanere, non tamen imputari volunt: nos verò ea  
 ” verè deleri atq; excindi docemus.

Respondeo: Verè omnia remitti docemus: sed tamen cum distinctione peccati: aliud est originale, aliud actuale. Actualia omnibus, sicut & originale in Christum credentibus verè remitti & condonari propter ipsius obedientiam, meritum & passionem docemus. De originali quomodo & quatenus remittatur, paulo inferius dicitur.

Decexi in mea, quam proposui de erroribus Papistarum, quos habent de Ecclesia, disputatione, errores crassos & palpabiles, qui in ea sunt grassati. Similiter & altera, de iustificatione hominis peccatoris, in qua defendenda, more scholastico, se exercuit Ioannes Carbo vir

Bo vir doctus, qui vnâ cum Gotthardo Romæ, in Collegio Germanico, studiorum causa versatus est. Hic agnita veritate ex diligenti lectione librorum nostrorum, errores istos Pontificios, deseruit, du-  
 Etâq; vxore ad nos se contulit. Eum ergo nunc Canonicus mirificè  
 exagitat, & inter alia non opus fuisse, vt Dalilam suam in Sueni-  
 am duceret, cum non ignoraret à Seb. Munstero scriptum, Sueuiam  
 hoc illecebrarum genere abundare. Facile etiam ipsi à Cyclope illo  
 Tubingensi & reformatore Saxonie, de virgine Eslingensi, aut de  
 alia puella, quam suauissimis moribus præditam cognouisset, prospici  
 potuisset. Et in margine scribit: Hic est Iacobus Andreas, qui cogno-  
 uit eas.

Ad que conuitia respondeo breuiter: Non deerit Carboni Apolo-  
 gia, si ita necesse esse videbitur, sicut Iacobus Andreas, collega meus  
 publico scripto suam asseruit innocentiam. Caterùm quòd ad scor-  
 torum copiam attinet, miror ego, vnde sacrificuli Bavarici (de quo-  
 rum libidinibus & turpitudine, Illustrissimus ipsorum Princeps in  
 Concilio Tridentino grauissimè in concessu publico, per suum orato-  
 rem est conquestus, quod vix tres inter centum, honestè viuant,  
 qui non scorta foueant) illa comparauerint: non opus fuisse illis  
 longo itinere & profectioe ad loca remota, vel in Sueuiam,  
 sed patriam illis suppetitasse copiam & delectum arbitror. Et vnde  
 Ioannes à Via, qui propter turpitudinem, quam exereuit, in Mona-  
 sterium est detrusus? Sed mitto hæc, apud ofores honesti coniugij,  
 qui satius esse iudicant, Sacerdotem centum habere scorta, quàm  
 vnicam coniugem. Vides hic, Canonicè, quàm mihi non deesset di-  
 cendi materia, & copia exagitandi libidines & turpitudines  
 sacrificulorum, Monachorum, & huius farina hominum, quo-  
 rum peccata, vt Sodomorum, clamant in cælum. Sed reprimò me,  
 & abrumpo orationem, ne crescat liber, & ad ea, que tandem contra  
 me proprie attulis, qua diu hactenus expectant, defendenda, ma-  
 confero.



Fol. 110. 121.

Initiò aut grauiſſimè in me inuehitur: Tū ne Heerbrande, Eccleſiam Catholicam maledictis proſcindere, tu eam grauiſſimorū errorum arguere & accuſare audeſ? Ergas, erras, ſi Chriſti ſponſam labi ac falli poſſe exiſtimas, ſi columnam veritatis hallucinari, & in ſcopulos impingere putas? Bona verba quaſo. Vbi enim ego Catholicam Eccleſiam Chriſti ſponſam accuſo errorum? Si non oculus eius ira turbatus fuiſſet, vel ex inſcriptione & titulo vidiffes, nihil me contra Catholicam Eccleſiam, Chriſti ſponſam (abſte enim hoc à me, abſit, inquam, longiſſimè tantum flagitium) ſed aduerſus Pontificiam Eccleſiam, eiusq; errores ſcripſiſſe. Quod ſi verò tu hanc Catholicam illam eſſe, cui à Chriſto facta ſunt promiſſiones, de ſua præſentia & veritate exiſtimas, longè, longè, longiſſimè erras & falleris. Hanc enim non Chriſti, ſed malignantium & Diaboli ſynagogam eſſe agnoſcimus, pronunciamus, & ex verbo Dei, hoſtem perſequutricem Chriſti, verbi, & Eccleſia eius, probamus. Ideò ad hanc errorum matrem nihil Chriſti promiſſiones, ſed ad verà Electorum,

Ioan. 8.

quæ verbum ipſius & Sacramenta retinet, pertinere ſciatis. Si, inquit Chriſtus, manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem. Vnde apparet promiſſiones Eccleſia factas non abſolutè, nndè & ſimpliciter accipiendas eſſe, nec ad quemuis cæcum, ſed ad eum tantum, qui manet in ſermone ipſius, & quàm diu illum retinet, pertinere.

Fol. 122.

Vnde etiam falſum eſt, quod addit: Nam cū Synagoga ita fuerit ſtabilita, vt in errores labi non potuerit, cur Eccleſiam ſuam Chriſtus ab erroribus non conſeruaret? Quæro autem ex te, Canonice, quæ fuerit Eccleſia Chriſti, tempore aduentus ipſius in carnem? Certè pronunciat, ſynagoga Iudæorum, in primis Pontifices, Sacerdotes, Scribæ & Phariſæi, præcipua capita, quæ totam, iuxta vos, repræſentant Eccleſiam, Aharonis legitimi ſucceſſores. Quæro amplius, an non hi turpiſſimè errauerint? Nec legis doctrinam, nec Euangelij promiſſiones de Chriſto, intelligentes, imò Chriſtum pro-

miſ-

missum Messiam Dei & hominis filium, tanquam blasphemum & sediciosum in crucem egerunt. Vbi igitur hęc promissiones Dei, Synagoga facta, vt in errores labi non potuerit, manent? Respondeo: Manet nihilominus ratæ: Istis enim in errores crassissimos prolapsis, Deus Ecclesiam suam sub illis Pontificibus latentem, seruauit, sicut tempore Helie: Reliqui mihi, inquit Dominus, septem millia &c. Et ad hanc Ecclesiam dicit: Iudicate matrē vestram, (synagogam) <sup>Ofc. 2.</sup> iudicate, quia ipsa non est vxor mea, & ego non sum maritus eius. Et iterum de Pontificibus & sacerdotibus: quia repulisti scientiam, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et oblita es legis Dei tui, <sup>Ibidem.</sup> obliuiscar filiorum tuorum & ego. Hęc, Canonice, tibi tuaq; Ecclesia Romana dicta putæ, qua errante, non ideo errat Ecclesia Dei vera, nec fluctuat ideo, sed certum habet Dei verbum, quod tanquam Cynosuram nauatæ, sequitur, iuxta illud: Lucerna pedibus meis Verbum tuum. <sup>Psal. 119.</sup>

Quod Lutherum scribit, vnico hoc argumento ab Ecclesia authoritate & consensu sumptum, in Sacramentarios inuehærem, hereticos illos esse declarare: Quandoquidem ab initio, quàm latè patet orbis Christianus, vna fuerit, & concors omnium de hoc sacramento sententia. <sup>Fol. 123.</sup>

Conspicillis. ibi opus est Canonice, inspicere verba Lutheri, quæ ipse recensuisti. Loquitur enim de Ecclesia, quæ fuit ab initio. Hanc nobis reddite: sed hanc vos non esse, res ipsa loquitur & testatur, cum articulum hunc de Sacramento à Christo institutum, ab Evangelistis & Apostolis descriptum, ab Ecclesia primitiua, quàm latè patet orbis Christianus ab initio, obseruatum, de quo vna fuit communis & concors omnium sententia, damnetis. Ideo vos hoc vnico argumento (vt tuis vt ar verbis contra te, tuoque re iugulem gladio) hereticos esse Lutherus conuincit. Qui (vt tu declamitas contra nos) conspirantem totius orbis consensum, in hoc & alijs articulis pleriq; reiicitis, contemnitis, & vel errores iam pridem à proceribus Ecclesie

22 clesia concilijsq̄ damnatos, in orbem reuocastis, vel noua com-  
 23 menta (quod supra est demonstratum) confinxistis, & huiusmodi fal-  
 24 sas & puidas merces mundo, verbi diuini (addo & Ecclesie) no-  
 25 mine oberulistis & vendidistis. Et qua in hanc sententiam plurima  
 26 contra nos grauis detonas orator. Lutheranam doctrinam puris mē-  
 27 dacijs & calumnijs nitit. quod facillimè & rectissimè in vos retor-  
 28 queri potest, quorum doctrina & Religio puris puris scaret impostu-  
 29 ris & mendacijs.

Fol. 125. 126.

Accusauit Pontificiam Ecclesiam corruptelæ Scripturæ sacra-  
 22 Hanc calumniam esse dicit à se alienam, nobis verò propriam. Quod  
 23 Lutherus in translatione Bibliorum, vltà trecenta loca corruperit,  
 24 quod Diertenbergerus docuerit.

Pro. 30.  
Apoc. vii.

Hæc magna verborum pompa, & multis clamoribus à Cano-  
 nico dicuntur, sed ridicula sunt, quæ calumniator iste collegit, & ea-  
 dem facilitate, qua abs te, Canonice, affirmatur, à me negatur, vt tu  
 scribis. Ego verò tibi accusationem meam vestri, de corruptelis sa-  
 cro-sanctæ Scripturæ, veram esse, ad oculum demonstrabo. Nō dicam  
 aut iam de Apocryphis & fabulis, de quib. supra, quas in ordinē Bibli-  
 corum sacrorum librorum recepistis, genuinis eas scripturis adden-  
 tes, quod grauissimè interdictum est, grauissima addita comminatio-  
 ne. Sed de corruptela primæ promissionis, quæ fundamentum est toti-  
 us religionis Christianæ, de semine benedicto mulieris, quàm vos, ve-  
 striq̄, maiores sceleratè & non absq̄ detestando sacrilegio erastis fal-  
 sarij, Christo de suo gradu deiecto, in locum ipsius matrem Mariam  
 substituitis. Id quod proprium est solius Christi, delentes ex Scriptu-  
 ra, ei ademistis sacrilegè: & Mariæ matri attribuitis, deprauato  
 rextu Biblico, pro IPSE, IPSA, scilicet ad Mariam transfe-  
 rentes, scribitis, legitis: IPSA conteret caput serpentis. Falsarij  
 Papicolæ, euerso totius religionis Christianæ fundamento, Maria-  
 latræ, negans eum, qui redemit vos.

Hoc

Hoc ipsum fecit Diettenbergerus. Dieſelbig (Maria) würde dir (Teufel) den Kopf zerbrechen. Quod vniuerſa canit Eccleſia Papiſtica: Aber du Maria rein / durch dein gehorſamkeit vnd Gottſelig demüthigkeit / haſt dem Teufel zerknüſcht ſein Haupt / vnd in all ſeiner macht beraube.

Joannes Leiſen-  
trit in ſeinem ge-  
ſangbuch Dillinge  
exculo, anno 1575.  
per Sebaldū Maier.

*O detestandam impietatem, abominationem, & falsitatem. Monstra tu Canonice, simile quid ex omnibus illis, quae Diettenbergerum in versione Lutheri recensuisse scribis, & respondebimus.*

*Ista verò etſi maxima ſunt, quae falſarij adhuc mordicus retinent, tamen non ſola ſunt: qui in multo maiora & plura auſi ſunt. Totum enim Dauidis, imò Spiritus ſancti Pſalterium, quod totius ſcripturae S. compendium eſt, turpiſſimè, impiiſſimè, ſceleratiſſimè, ſacrilegè, non abſq̃ ſumma Idolomania corrupiſtis, omnia, omnia, omnia inquam & ſingula in eo, quae Dei, Meſſiae promiſſi, propria ſunt, & attributa, tam perſonae, quàm officij, beneficiorum & meritum ipſius, diuae virgini Mariae Deiparae, corrupto textu biblico, attribuerunt. Cumq̃ hoc Mariae, vt inſcripſerunt, Pſalterium delendum, & flammis exemplaria, paſſim ſtudioſè conquiſita, & collecta, tradenda fuiſſent: Ecce tanquam Sodomae peccatum ſuum predicauerunt pluribus in locis Venetijs, Lucetia, & Ingolſtadij etiam, non ita ante multos annos, multiplicatis exemplaribus, per typos, ea ſparſerunt & euulgarunt, approbantes. Videamus pauca ex quibus tanquàm Leo ex vnguibz cognoſcatur, Pſalmo 2. Venite ad eam (Mariam) omnes qui laboratis & tribulati eſtis, & refrigerium & ſolacium dabit animabus vſtris. Pſalmo 7. Domina in te ſperaui, de inimicis libera animam meam. 10. In Domina confido. 15. Conſerua me domina, quoniam ſperaui in te. 30. In manus tuas domina, commendo Spiritum meum, totam vitam meam, & diem vltimum meum. 31. Beati quorum corda te diligunt virgo Maria, peccata ipſorum à te miſericorditer diluuntur.*

41. Quia tu es genetrix vitæ meæ, & alitrix reparationis carnis meæ. Quia tu es lactatrix saluationis animæ meæ, initium & finis totius salutis meæ. 50. Misere mei, Domina, quæ mater misericordie nuncuparis, & secundum viscera misericordiarum tuarum, munda me ab omnibus iniquitatibus meis. 94. Venite ad remus & procidamus ante eam, confiteamur illi cum fletibus peccata nostra: assiste pro nobis coram tribunalis Dei. 109. Dixit Dominus Domina meæ, sede mater mea à dextris meis. 129. De profundis clamaui ad te Domina. 131. Da nobis in nomine tuo fiducia. 144. Oculi nostri in te sperant Domina, mitte nobis cibum & escam delectantem. 146. Ipsa medetur contritis corde, & refouet eos unguento pietatis: magna est virtus illius, & clementia eius nullum habebit finem.

O Cælum, ô terra, ô Deus, quàm diu taces & conuiues? quis non exhorrescat ad execrandam hanc post homines natos, inauditam scripturæ deprauationem, idololatriam horrendam, blasphemiam extremam. Quid reliquum est Christo? An non hic de Solio Maiestatis suæ est derubatus, & planè sepultus Christus, inque omnem administrationem, plenitudinem potestatis, & Maiestatis, & omnipotentia collocata, homo, mulier? Quis talia unquam audiuit? Hoc ne vniuersa Cacodæmonum quidem infernalium caterua innumera, facere ausa unquam fuisset, quod isti Papicola? Quid est Scripturæ sacræ corruptela, falsarij, si hoc non est? Ne ergo amplius scribas: Ignosces etiam mihi Heerbrande, si eadem facilitate, qua abs te affirmatur, à nobis corruptam Scripturam, à me negetur. Hec enim nisi planè sis furiosus, negare non poteris. Scripsi etiam, Pontificios articulum fidei, caput religionis nostræ, de remissione peccatorum corrupisse, quod verum est.

Hic iam bonus vir, aliquot D. Augustini testimonijs docet, in sola Ecclesia Catholica remissionem peccatorum reperiri.

Quasi

Quasi verò hoc vnquam nostri negauerint? Sed vos quinam estis? si multum vobis largiamur, Phariseos vos esse, qui clauem scientia habueritis, in regnum caelorum ingredi non velle, & volentes ingredi prohibere & arcere, affirmamus. An verò vos peccatorum remissionem creditis? cum de ea dubitandum contendatis, vt qui maximè veram, certam, firmam & indubitatam fidem, qua vnusquisq; certò statuit, sibi remitti peccata propter solum Christi meritum, tanquam temerariam, superbam & Lutheranam fidem anathematizetis. Credo (habetur in Symbolo) remissionem peccatorum, non dubito. Cum ergò vos dubitetis Papicola, non ego vos calumnior, quasi remissionem peccatorum negetis, sed verum esse probaui. Quòd verò contrà calumniatis, nos negare peccatorum remissionem, quia in iustificatione impij, peccatum ex-  
 scindi negemus, sed remanere in renatis peccata, affirmet Philip-  
 pus in locis communibus: Vbi scribit, concupiscentia simul & poena  
 est primi lapsus & in renascentibus peccatum ipsum, id est quid-  
 dam reum & damnatum à Deo. Hic in margine ne quid calumnia-  
 rum desit, addit Canonicus: Nota, secundum Lutheranos peccatum  
 est res rea. Lutherani Manichæi sunt.

Concil. Trident.  
 Sessione 6.  
 Can. 9. 11. 12. 13.

Fol. 129.

Et quæ hæc calumniandi & mentiendi libido? Non enim dicit Philippus, vt tu in margine annotas, eiusq; verba peruertis: peccatum esse *RE M* ream, sed vt in contextu recensuisti, quiddam reum. An verò hæc tibi vnum sunt & idem, *QUIDDAM*, & *RES*? nequaquam verò. Non enim omne quod est, res est, hoc est, substantia est. Sed hoc de suo addit, vt ex hoc suo figmento calumniandi occasionem arripiat: quasi Philippus peccatum substantiam esse cum Manichæis deliret: cum sciat, nos ab hac hæresi esse alienissimos.

Cæterum ad rem ipsam: Nihil hoc dogmate, de peccato in re-  
 natis remanente, & iustitia imputatiua dici aut cogitari posse, ait

Fol. 131. 132.

O sanctos hypo-  
critas.

Iohan. 1.  
Rom. 5.

Idem homo iustus  
& peccator.

I. Iohan. 1.

August. in Psal. 42.  
Idem de ciuitate  
Dei lib. 19. cap. 27.

Canonicus, absurdus. Nā cum Deus optimus maximus labem pec-  
cati maximè abominetur, quo pacto aliquem amare poterit, quem  
crimine pollutum esse cognouerit? Sequitur enim, vt eundem prae-  
tens Deus simul & semel, odio, & amore prosequatur. &c. Respon-  
deo. Vtrumq; verum est, Deum odisse peccatum & amare peccato-  
rem. Et tamen non inde sequitur, Deum eundem hominem simul &  
semel odio & amore prosequi. Odit peccatum, odit etiam propter pec-  
catum, peccatorem, nisi fiat remissio, sed non odit peccatorem creden-  
tem, verum diligit. Facile igitur damus, vnum & eundem hominem  
iustum esse & iniustum, sed diuerso respectu, in se, sua natura, & per-  
sona consideratus, iniustus est & peccator. Si enim dixerimus, quòd  
peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non  
est: Pro iniquitate orabit ad te omnis sanctus, canit Psaltes. Si habet  
iniquitatem, quomodo sanctus? si sanctus, quomodo iniquus?  
Respondeo. Iustus fide quatenus in Christum credit, habet peccatum,  
sed remissum, & tectum sanguine & innocentia Christi. In quam sen-  
tentiam etiā D. Augustinus eleganter scripsit: Da operam esse IV-  
STVS, & quantumcunq; fueris confitere te PECCATO-  
REM, & spera misericordiam. Idem in Psalmo centesimo quadra-  
gesimo. Condelector lege Dei secundum interiorem hominem: Ecce  
iustus. Vndo ergo peccator? video aliam legem in membris meis re-  
pugnantem legi mentis meae. Sumus ergo secundum Augustinum,  
iusti peccatores, quod Canonicus ipse, cum Scriptura S. & Augu-  
stino pugnans, nunquam concedet, sed dicit esse oppositum in adiecto  
sicut postea addit: simul & semel eidem subiecto inesse nullo modo  
poterit: Cuius contrarium docet Augustinus.

Fol. 139

Fol. 134.

Conatur autem suum probare intentum, ex Dialecticorum  
regula, de conditione priuatiuè oppositorum, quae se mutuo ponant  
& perimant. Talia cum sint iustitia & peccatum, Iustitia autem  
sit infusa gratia, ergo peccati macula delebitur, & labes expelletur  
Respon-

Respondeo: Fingunt Pontifici, doctores, Iustificationem talem motum & mutationem ab iniustitia ad iustitiam esse, qualis est in Physicis, quando vna qualitas alteram expellit, & contraria introducit: vt cum aqua frigida calescit, expellitur frigus per ignem, & introducit calor. Sic per Iustitiam quæ sit infusa gratia, hoc est charitas, elui, expelli, extinguere, & interire peccata penitus, vt omne retri facinoris vestigiū aboleatur. Sed falsa hæc est imaginatio, Deū non posse placari, nisi peccatum fuerit ex homine penitus expulsum. Ideoque charitatem, tanquam nouam qualitatem infundi, quæ peccata prorsus extinguat. Hocque modo, ipsa charitate hominem iustum esse. Quæ omnia sunt falsissima, sicut ex precedentibus est manifestum, cum charitas infusa non sit nostra iustitia, sed Christi obedientia & iustitia, fidei imputata, vt Apostolus disertis verbis Rom. 4. testatur & explicat dicens: porro ei qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium, **IMPVTATUR** fides ad iustitiam. Quemadmodum & David explicat, beatificationem hominis, cui Deus **IMPVTAT IVSTITIAM** absque operibus. Psal. 32. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum reuera sunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.

Quod igitur addit: Nullus, qui sordibus est inquinatus, potest cælestis regni hæreditatem obtinere. Quomodo igitur homini peccato contaminato, ad cæleste domicilium patebit accessus?

Respondeo: Scimus hæc vos Papisticos doctores ignorare, & vt Lutherus verè dixit, frustra de his rebus vobiscum disputari, quas non intelligitis, nec discere, sed semper ignoratis, docere vultis. Nobis autem facilis est responsio, & vera, quomodo homini peccato contaminato ad regnū cælestem pateat accessus, facta nempe peccatorum remissione, vt iam ex Paulo & Psalmo est probatū.

Adsunt



August. de ciuit. Dei  
lib. 19. cap. 27.

Ad sunt peccata, non excissa, sed tecta, quæ Deus non vult videre, non imputat, vt *Psalmes cecinit, Dominus peccatum: sed imputat Christi iustitiam, quam legi præstitit, vt Paulus loquitur. In quam sententiam etiam D. Augustinus scriptum reliquit: Ipsa quoque nostra iustitia, quamuis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur: tamen tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum.*

Fol. 133.

Hæc cum plana sint, desine mirari, & querere cum Nicodemis  
 „ quo pacto iustificatus quis dici poterit, qui non sit iustus, sed habeatur  
 „ solum iustus? Respondeo cum Christo: Es tu Magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis. An tu non es contentus ea iustitia, quam Deus testatur esse iustitiam, eamque acceptat? Vis ne tu meliorem & perfectiorem, quam quæ Christi est, quam donat in se credentibus? An hæc tibi nulla esse videtur?

Fol. 135.

„ Pergit autem in suo conatu, cecitatem, ignorantiam, & Pharisæismum suum ostendere: adeo ne es rudis Heerbrande, inquit,  
 „ vt ignores, causam efficientem & formalem coincidere nullo modo  
 „ posse? At Iustitia Christi causa est efficiens nostræ iustitiæ. Formatur  
 „ igitur nostræ Iustitiæ esse non poterit.

Fol. 107.

Respondeo: Non ignoro ego ista: sed magis tuam miror veriginem, in ista tua ætate. Qui cum supra folio 106. 107. tui libelli, vt seruires scenæ, scripsisses: Iustificationis causa efficiens est multiplex, vna principalis, Deus Pater, altera minus principalis Christus: iam tui oblitus, vel, vt instituto satisfacias, iustitiam Christi, causam esse efficientem nostræ Iustitiæ ais. Aliud autem est Christus, aliud eius iustitia, etsi diuelli hæc non possint. Cum supra quoque ex Concilij Tridentini decreto, ad tuam causarum Iustitiæ distinctionem confirmandam, posueris: Vnicam formalem causam esse, iustitiam Dei, qua nos iustos facit. Hæc manifeste  
 Nec  
 causarum est confusio.

Nec ideo nos Manichæorum reuocamus errorem, quod ma-  
 lum siue peccatum exscindi negamus, sed tantum remitti & non im-  
 putari affirmamus. Neque enim substantiam esse peccatum asseri-  
 mus. Loquimur autem cum Scriptura: Sicut Paulus sibi inharere,  
 adiacere, & inhabitare in se affirmat malum. Adhæc ille quid? Scri-  
 pturæ testimonia affert, quibus Deus Opt. Maximus delere iniqui-  
 tates, cor mundum creare, mentem innouare, illuminare, mundare  
 & lauare dicitur.

Fol. 134.

Rom. 7.

cc

cc

Respondeo: hæc omnia fiunt, partim remissione peccatorum, cui-  
 us sententiæ expositio & confirmatio habetur Psalmo allegato, 32.  
 Beati quorum remissæ sunt iniquitates: partim imputatione iusti-  
 tiæ, partim etiam regeneratione & renouatione, quæ fit in Baptismo  
 per Spiritum sanctum. Sed quod omnino, vt vult aduersarius, &  
 penitus peccatum exscindatur, & radicitus ex natura corrupta ex-  
 irpetur peccatum, id cum Scriptura sacra maximè pugnat: cum  
 omnis cogitatio cordis humani, non tantum prona sit ad malum (si-  
 cut perperam in veteri legitur translatione, corrupto & depravato  
 sensu) sed tantum mala. Et Salomon dicit: Quis dicet, mundum esse  
 cor meum? Purus sum à peccato? Et in præcedentibus consimilia  
 attulimus Scripturæ testimonia. Rom. 7. 1. Iohan. 1.

Genes. 6. 1.

Prouerb. 20.

Porro quod addit: Renati, iusti & recti dicuntur: consequens igitur  
 est, vt verè realiter simus iusti: aliud autem est, haberi iustum,  
 aliud, esse iustum. Respondeo: Hæc est coram Deo iustitia vera, quam  
 ipse agnoscit, approbat & acceptat, quod paulò antè dictum est.

Christi autem iustitiam absolutissimam, credentibus non so-  
 lum imputat, sed donat, vt de ea non minùs aut secus gloriari pos-  
 sint coram ipso, quàm si ipsi eam legi præstiterint. Hæc Christi no-  
 bis imputata & donata iustitia, nõ est nihil. An hac tu Pharisee vis  
 meliorè? Hac iustus est, quisquis coram tribunali Dei iustus pronun-  
 ciatur, in qua & Apostolus, qui sibi nihil erat conscius, inueniri vult,  
 & non in ea, quam legi præsticit, licet irreprehensibilis fuerit. Hinc  
 à Chri.

Phil. 3.

à Christi iustitia, iusti denominamur, & sumus coram Deo, de qua canit Psaltes: Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio: cum vestra charitatiua, ut cum vestris loquar, imperfecta sit, teste Augustino, dicente, quod perfecta in nullo reperiri possit homine, quam diu hanc vitam viuere: Et ideo coram tribunalis Dei consistere non potest, coram quo summa requiritur perfectio. Hæc ad Scripturæ testimonia, ex ipsa Scriptura respondere volui: Ex quo apparet, quam non faciant ista allata ex Scripturis, ad aduersarij propositum confirmandum.

August. in præfatione  
ad Psalm. 31.

Attestatur nobis & D. Augustinus: Quid ergo, qui sunt Beati? Non in quibus inuenit Deus peccatum, nam in omnibus inuenit. Omnes enim peccauerunt & egeni gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet, ut non sint beati, nisi quorum sunt remissa peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ibidem: sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fere iustitiam sine operibus. Iustitiam quam? Fidei, quam bona opera non præcesserunt, quam bona opera consequuntur.

Enarratione secunda eiusdem Psalmi: Et quia totum gratia, eius imputatur, non meritis nostris: Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. Non in quibus non sunt inuenta peccata, sed quorum tecta sunt peccata, cooperta sunt peccata. Tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit aduertere. Si noluit aduertere, noluit animaduertere. Si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere.

Ibidem in enarratione Psalmi 31. Letamini iusti in Domino. Quare? Quia iam iusti: Vnde iusti non meritis vestris, sed gratia illius. Vnde iusti? Quia iustificati.

Psalmo 32. Exultate iusti. Nolo enim vos interrogare de iustitia vestra. Fortassis enim nemo vestrum mihi audeat respondere: Iustus sum. Sed interrogo vos de fide vestra? Sicut nemo vestrum audeat

audet dicere, iustus sum: Sic nemo non audet dicere, fidelis sum. Non-  
dum quero quid uinas? sed quero quid credas? Fides tua, iustitia  
tua. *Haftenus August.* Ex quibus omnibus & singulis apparet, om-  
nes etiam iustos, peccatum habere & peccatores esse. Iustos autem,  
remissis & relictis peccatis, imputata iustitia, per fidem sine operibus.

Sed hic contra affert ex Patribus, maximè Augustino, testi-  
monia, quibus probare conatur, per Baptismum ex carne profusus  
euelli peccatum, sicut Augustini locus contra Pelagianos sonare ui-  
detur. Dicimus, inquit, Baptismum dare indulgentiam omnium pec-  
catorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccato-  
rum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capil-  
lorum, unde crescant iterum ressecanda peccata. *Haftenus Canoni-  
cus,* verba Augustini referentis & repetentis Pelagianorum de ra-  
sura peccatorum similitudinem, recensuit. Sed audi vicissim Domi-  
ne Georgi, quid subiiciat. Augustinus immediatè: Nam & istam si-  
militudinem, inquit, comperi sua illos (Pelagianos) adhibere ca-  
lumniam, tanquam nos hoc sentiamus atq; dicamus. Sed de ista concu-  
piscencia carnis (reliqua in renatis) fallios (Pelagianos) credo,  
vel fallere, cum qua necesse est, ut etiam Baptizatus, & hoc, si dili-  
gentissimè proficit & Spiritu Dei agit, pia mente, configat. Reli-  
quam ergo significat esse in renatis concupiscenciam.

Hoc itaq; dicit Augustinus: Pelagianorum hanc esse de peccato-  
rum non rasura, sed radice extirpatione in Baptismo similitudi-  
nem: de reliqua in renatis concupiscencia, eos, inquit, falli credo, vel  
fallere. Remanere enim, ait, concupiscenciam etiam in Baptiza-  
tis, cum qua etiam renati, qui Spiritu Dei aguntur, configant, sed  
dimitti eam, ut in sequentibus habetur, in Baptismo, ut quanquam  
errata sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus. Quemad-  
modum etiam alibi loquitur: concupiscenciam carnis dimitti in  
Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur.

“ *Pol. 116.*

“

“

“

“

Augustinus contra  
duas Epistolas Pela-  
gij, lib. 1. Cap. 13.August de Nupt. &  
concupiscencia  
lib. 1. cap. 35.

Ibid. cap. 26.

*Vbi etiam concupiscentiam, affectionem quandam male qualitatis vocat, & addit: Manet in corpore mortis huius, carnalis concupiscentia. In eis ergo, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, vtiq; necesse est, vt REATUS ETIAM HVIVS, LICET ADHVC MANENTIS CONCVPISCENTIÆ, REMITTATUR, VT IN PECCATVM, SICVT DIXI, NON IMPVTETVR.* Postea: Hoc

Id. ibid. cap. 27.

*est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Item, manet actu, praterit reatu. Agit enim aliquid concupiscentia carnis, &c. Agit autem, quid? nisi ipsa desideria mala, & turpia. Hactenus verba Augustini.*

*In quibus omnibus & singulis, nequaquam concupiscentiam prauam ex natura radicatus extirpari dicit, quin imò manifestè clare & perspicuè affirmat, remanere, etiam post Baptismum, in omnibus renatis, concupiscentiam carnalem: sed in peccatum non imputari. Hoc est enim, inquit, non habere peccatum, reum non esse peccati. Qui reatus in Baptismo tollitur, in quo ab omnibus abluimur peccatis & regeneramur. Quòd volunt & alia patrum testimonia.*

Fol. 138.

*Postea ad alium errorem absurdum confirmandum accedit, concupiscentiam, inclinationes prauas (quas ipse ita nominat) & primos motus, qui in nostra non sunt potestate, peccata non esse. Quem suum errorem absurdum in Theologia probare instituit Augustini testimonijs, ad quorum refutationem non alijs opus esset argumentis, quàm illis ipsis locis, ab aduersario inde citatis: vbi ait, Baptismum omnia prorsus abluere peccata, quomodocunq; admissa, sed NON AVFERT, inquit Augustinus, INFIRMITATEM, cui regeneratus resistit. Simile huic est, quod hic allegatur: In Baptismo quidem omnia remittuntur peccata, sed manent carnalium concupiscentiarum mala.*

Fol. 139.

Sic

*Sicut & illud: Sufficit sola spiritualis regeneratio, ne post mortem obfit, quod carnalis generatio cum vita traxit.*

*Non dicit concupiscentiam post Baptismum non esse peccatum, sed post regenerationem non obesse, quia remissum & ablutum, ut in peccatum non imputetur. Non aufert ergo (ut verbis ex Augustino citatis utar) Baptismus infirmitatem, sed manent carnalium concupiscentiarum mala. An tu verò hæc mala, hæc infirmitatem & concupiscentiam atq; inclinationes prauas, peccatum esse per se negabis? Si enim concupiscentia mala est, si morbus est, si infirmitas, si inclinationes prauæ: quæ insania est, peccatum esse negare? Apostolus certè Paulus concupiscentiam in renatis reliquam, Rom. 7. & malum vocat, & peccatum, quod in se habitat. Et ne improprie sic dici quis existimet, addit: repugnare eam legi mentis suæ, & captiuantem se sub lege peccati: & Carne serui legi peccati. Rationem ergo peccati habet, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis in homine renato, cui repugnat. Est autem verè & proprie peccatum, quicquid pugnat cum lege Dei: sicut Apostolus 1. Ioan. 3. Rom. 7. definit: ἀμαρτία ἐστὶ ἀνομία. Et alius: Concupiscentiam ignorabam esse peccatum, nisi lex diceret, non concupiscas. Et si autem Augustinus alibi aliter de concupiscentia carnis in renatis post Baptismum reliqua loquatur: tamen euidentia verborum Apostolico adductus est, ut disertè etiam & proprie peccatum esse fateatur, in hæc verba scribens: Sicne cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quæ cor superbum, digna animaduersione punitur, & causa peccati, cum aliquid cæci cordis errore committitur: Ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit Spiritus, ET PECCATVM EST, quia illi inest inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientia: & causa peccati, defectiōne consentientiæ, vel contagione nascentis.*

*Hæc expressè Augustinus concupiscentiam carnis in renatis*

PECCATUM esse pronunciat, & rationem subiicit, quod in fit illi inobediencia contra dominatum mentis. Et Apostolus cum dicit, nihil damnationis esse in his, qui in Christo sunt, non dicit nullum inesse illis peccatum, sed nullam damnationem. Quare hoc? quia in Christo sunt, & non secundum carnem ambulant: sicut & addit: Non regnet ergo peccatum in mortali vestro corpore ad obediendum peccato. Ecce peccatum: Et non dicit: non fit peccatum in corpore vestro: sed hoc dicit: non regnet. In omnibus enim peccatum esse novit, etiam renatis, ut de se, & in sua persona de omnibus renatis loquitur: Sed ut non regnet, prohibet.

Rom. 7.  
Ibid. 8.

Et quam pragnantia sunt verba Spiritus sancti per Moysen prolata? Omnis cogitatio vel figmentum cordis humani, **TANTUMMODO MALA**: Item Apostoli: Scio quod in carne mea non habiter bonum, sed malum mihi adiacet. Item affectus carnis mors est, & inimicitia aduersus Deum. Legem enim Dei non est subiectus, siquidem non potest quidem. Hac Lector pius attentè consideret, perpendat, & examinet. Ex quibus omnibus & singulis Scriptura & Augustini sententijs, manifestè apparet: concupiscentiam in renatis post Baptismum reliquam, verè & propriè peccatum, non solum dici, sed esse.

Fol. 140.

Verum hic altiùs in me insurgit: hæresin nouam & vesana dogmata hæc vocat. Hic homo, non nisi Hæreticos perpetuò crepat. Hæreticus ergo tibi erit, Canonice, Paulus, imò Moyses & Augustinus, qui hoc ipsum, quod nos docemus, scripsere, ut iam ipsorum verbis & sententijs demonstratum est.

Fol. 141.

Absurda, homo absurdissimus ex hoc dogmate colligere, & sic quod Irenæus de hæreticis eorumq; argumentis scribit, ex arena funiculos necltere instituit: Etenim, inquit, an non hoc est Deum peccati auctorè constituere, **PRAVAM ILLAM INCLINATIONEM, LABEM ESSE ASSERERE**? Quid hoc magis absurdum & impiù? Et hæc, quemadmodum amici Iob,

*Iob, magno zelo Deum iustam, rectum, absq̄ ulla iniquitate proba- re vult, eiusq̄ agit causam prolixè multis clamoribus. Quasi rerò hoc quisquam neget? quibus addit: Gentiles meliùs de Deo scripserunt, & senserunt Lutheranis: Vos, inquit, Heerbrande, flagitiosi & impij homines, dū PRAVAM INCLINATIONEM peccatum esse asseritis, an non Deum mali autorem constitutis.* Fol. 142.  
Fol. 143.

*Respondeo: Nequaquam. Sed contrà vos Romanenses, isti impij & flagitiosi estis homines, qui temerè asseritis, & pravam esse inclinationem, & Deum illius esse autorem. Si prava est, ergo peccatum. Peccati ergo author Deus erit secundum vos.*

*Multis autem, & valdè prolixè contendit, pravam istā, quam sic appellat, inclinationē, concupiscentiā, inquit, vulgò vocant, à Deo factam. Cum enim omnia per ipsum facta sint, & sine illo factū sit nihil (sed hic omittit: quod factum est) necesse est vim illā internam concupiscibilem, cum res naturalis sit, à Deo autore promanare*

*Respondeo: Nemo nostram vnquam negavit, omnes à Deo conditas esse substantias, ideoq̄, bonas, quia à Deo bono. Sic etiam vim & potentiam concupiscibilem, quasenus potentia naturalis & substantia, à Deo creante & conseruante esse. Sed huic, sicut & in alijs omnibus viribus superioribus & inferioribus, mente sine intellectu, & voluntate, magna inest & rãxiã, hoc est, inordinatio, quæ non est substantia, sed accidens, concupiscentia, scilicet, vel inclinatio in homine prava, quam Apostolus vocat carnē, affectum carnis, qui fit inimicitia aduersus Deum, malum, peccatum, quæ non sunt substantia, vel positiuum quiddam, hoc est, natura à Deo, ad ipsius imaginem condita, sed accidens, in corrupta & deprauata natura, & sic horribilis destructio naturæ bonæ à Deo condita, quæ non à Deo sunt creata, sed à Diabolo & voluntate hominis primi, à Deo deficientis, cui adharere bonum erat, originem trahunt, quibus natura hominis est corrupta miserrimè & destructa. Atque ita prava inclinatio in natura hominis, non est à Deo, nec naturalis,*  
nisi



nisi corruptæ naturæ: Quod malum originis olim Pelagiani, sicut  
 Papiſta hodie non intelligentes, bonum eſſe contendebant, quia na-  
 tura a deſt. ſicut hi naturalia eſſe integra contendunt. Quod quidem  
 aliquo modo verum eſt quod ad ſubſtantiam, ſed non quod ad qua-  
 litates prauas, quæ ſunt in ſubſtantia & natura vitiatæ. Manſerunt  
 itaq; potentiæ naturales, ſed nihil ſani aut integri eſt in omnibus vi-  
 ribus & potentijs reliquum, verum omnia contaminata, morbida,  
 corrupta, deprauata, & lepra quaſi, atq; veneno diaboli inſufflato,  
 infecta. In intellectu ignorantia Dei, cæcitas & horribiles tenebræ.  
 In voluntate, auerſio à Deo & contumacia, & in omnibus viribus  
 inordinatio. Hæc lex eſt membrorum, hoc malum in homine, hoc  
 peccatum quod adiacet, hæc caro, quæ aduerſus Spiritum concupi-  
 ſcit, hic ſenſus & cogitatio humani cordis tantum mala à pueritia.  
 Quare non aduerſatur nobis Auguſtinus, cum dicit, omnes naturas,  
 & omnia quæ naturalia ſunt, à Deo eſſe. Concedimus enim naturas,  
 hoc eſt, ſubſtantias omnes à Deo conditas, & ideò bonas. Cum verò  
 tu naturam, pro inclinatione iſta praua, concupiſcentia mala, pu-  
 gnante cum lege Dei, accipias, ſicumq; facias, ludens ambiguitate  
 vocabuli, Naturæ, Canonice, & pro ſubſtantia accipias, cum ſic ac-  
 cidens: negamus, hæc, tametſi naturæ adſint, nobis cumq; naſcantur,  
 à Deo eſſe, ſed horribilem naturæ ab eo conditæ deſtructionem eſſe  
 aſſerimus. Atq; ita ſimul Pelagianus & Manicheus Canonicus.  
 Pelagianus, negans prauam concupiſcentiam eſſe peccatum. Mani-  
 cheus, quia prauam concupiſcentiam à Deo eſſe creatam, & ſic De-  
 um peccati authorem facit. Vtramq; hæreſin Auguſtinus paucis  
 damnat. Auguſtinus lib. 4. Hypogno: Libido, inquit, non eſt natura-  
 le bonum in hominibus, ſed per peccatum primorum parentum, ac-  
 cidens malum atq; pudendum, cuius non author eſt Deus, ſed Dia-  
 bolus. Et mox: Omne enim malum nõ eſt natura, ſed actus accidens,  
 defectu boni. De hoc argumenti genere plura ibidem habentur,  
 quibus docet, concupiſcentiam eſſe peccatum. Vnde luca carnis &  
 Spi-

Ioan. 1.  
 Ephes. 2. 4. 5.  
 Rom. 7.  
 Fol. 144.

*Spiritus, & bella in sanctis de concupiscentia per omnem vitam: Et addit ex Apostolo: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, &c. libidinem, concupiscentiã malam, &c. Respondete, inquit, (vos Pelagiani) huic tanto doctõri: Cur ea mortificanda præcipit, si naturalia bona sunt? Sed melius in vobis Pelagio & Celestio loquentibus, quàm Christus in Paulo, è contrario prædicatis, cum laudabili plausu dicentes: viuificate membra vestra, quæ sunt super terram, Col. 3. libidinem bonam, concupiscentiam optimam. Demens, & secundum voluntatem tuam in sensum reprobum dimisse Hæretice. An non hæc tibi quoq; Canonice, dicta esse putabis, qui prauam inclinationem vel concupiscentiam, rem esse naturalem, & à Deo ortum habere, asserere non erubescas.*

*Non ergo nos constrictos tenes, vt elabi non possimus, sicut Thraconicè ἐπιβίωσας ante victoriam, quemadmodum etiam singulis argumentis singulas addis & subijcis declamationes Rhetoricas, arguens ebuccinans victorias præclaras, quas de nobis reportaris, quibus nihil est ineptius: deinde exclamations addens gloriari vanissime. Euasimus enim illos tuos laqueos: quod aliud sit potentia concupisibilis, quatenus substantia: & aliud concupiscentia, vel vt tu loqueris, inclinatio mala, quæ accidens est in substantia, quo hæc corrupta est. Sicut nec Metaphysico principio nos capies: quamlibet Rem esse vnam, veram & bonam. Cum igitur cupiditas siue inclinatio, quam fomitem siue concupiscentiam nominare solemus, res naturalis quædam sit, debet esse vna, vera & bona, & sic consequenter à Deo esse. Nego enim, vt antea, inclinacionem illã, siue CON-  
CUPISCENTIAM PRAVAM, rem, hoc est, substantiam esse, sed accidens malum. Et quidem naturalem esse, hoc est, nobiscum natam non diffitemur: sed deprauata natura inesse, eamq; corrumpere dicimus. Sicut in præcedentibus, peccatum esse, immotis Scripturæ testimonijs comprobatum est. Cum igitur vos substantiam esse contendatis, & à Deo, Ideò vos Deum peccati authorem facitis.*

Fol. 144.

Fol. 145.

NB. Deum autorem peccati faciunt Papistæ.

L

Sic

Sic nec cornuto tuo quicquam proficies argumento: si inclinatio vel concupiscentia ista peccatum est, inquis, sequitur ut aut peccati autorem Deum faciat: aut ut Manichæi duo principiorum & rerum genera constituat.

Distinguiamus enim inter potentiam concupiscibilem, & inclinationem pravam, quæ vitium est accidens, & ἄρᾶ in potentia ista, in natura, non substantia, sed nature & substantiæ bonæ à Deo creatae corruptio, & peccatum, quod non est substantia, sed accidens, & nihil priuatiuum, à Diabolo impellente & homine consentiente ortum.

Fol. 146. Rideo itaq; stolidam Canonici, & Thraonicam iactantiam, triumphos eius Phantasticos: Quo te nunc Heerbrande conuerteret? Nescio: effugere nullo modo potes, captus es, explicare te nullo modo potes. & c. scilicet.

Fol. 148. Eadem est solutio & responsio ad argumentum, de viribus animi, quæ ab ipso animo non re, sed sola mentis cogitatione separantur. Non enim hac mihi opus est distinctio, nec ad eam confugimus. Sed in viribus animi à Deo conditis, vitium esse dicimus, ab ipso homine ortum. Sicut Diaboli non aliunde, sed ex se habent malitiam: Cum loquitur, inquit saluator, mendacium, ex proprijs loquitur, quia in veritate non stetit. Sic ἄρᾶ ista in potentijs & viribus hominis, principium habet ex homine: quòd à Deo, impellente Diabolo, transgressione mandati ipsius, defecit ad malum, in & cum quo Deus illum non creauit, qui fecit hominem rectum ab initio, sicut omnia quæ fecerat, erant valde bona. Sed tum prava concupiscentia & inclinatio mala nondum erat, sed per inobedientiam vnus intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors: atque ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

Rom. 5.

Conseruat itaq; iam Deus, susteneat & propaget eadem naturam, qualis iam est, sicut Genesis 7. habetur: Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem SVAM, NON DEI.

in qua ipse initio erat creatus. Sicut & Diabolo ipsos sustentat, quorum etiam substantia ab ipso est & conseruatur. Non tamen ipse malitiæ eorum auctor est: sed ex semetipsis tales facti sunt. Hinc tamen non sequitur, Deum peccati esse autorem, quod non res est positiua, seu substantia, sed nihil priuatiuum.

Quod si verò concupiscentia vel inclinatio praua, à Deo est condita, vt contendit Canonicus, quia res sit naturalis: ergo Deum peccati autorem facit, qui a illam peccatum esse, firmissimis & inuidis Scripturæ testimonijs demonstratum est.

In te ergo rectè & optime quadrat Rhetorica declamatio, quàm contra nos instituisti per multa folia. Vos Deum peccati autorem facitis, Deum esse negatis, quia ipsi indigna attribuitis. Vbi ergo vestra erga Deum Religio? O pestes, o labes, o tenebræ. Vos ne flagitiosissimi ganeones, inclinationem illam prauam à Deo nobis inditam esse asseuerabitis, peccatumq; esse negare auderis? Sed longum esset declamationem & exclamationes istas hominis ocio abundantis, repetere & regerere. Propero enim ad finem.

Magno etiam conatu magna spirat mendacia: Lutherum & asseclas, odio Ecclesiæ Catholicæ, Reipublica Christiana bellum intulisse.

Respondeo: Nequaquam Reipublica Christiana, sed Romano Antichristo, eiusq; regno, à Diabolo fundato, bellum indixit & mouit: & rectè quidem, Deo fœlicem dante euentum. Impietas, Idolomania multiplex, & plus quàm Ethnica, Magia horrenda, qua creaturas plerasq; incantationibus, à Diabolis quasi obsessas, expurgare instituistis, (vt olim Manichæi, quibus tamen hac in parte Papatus longè antecellit) & ad fugandos demones, & salutem animæ & corporis, præter suam naturam, in usus alios conuertere, seu peruertere voluistis. Tyrannis & persecutio piorum scruissima, peruersio denique totius Religionis in Papatu, causa fuit dissidij.

„ Subiungit & aliud mendacium: Memoria, inquit, proditum est,  
 „ Lutherum ab Eckio in disputatione Lipsica superatum, tandem  
 „ frementem atq; furentem, in hæc verba prorupisse: Hanc Traga-  
 „ diam seu Comediam non propter Deum inceptam, nec propter De-  
 „ um finiendam. Turpia duo coniuncta sunt mendacia Papiistica.  
 „ Prius Lutherum ab Eckio superatum in disputatione Lipsica, quod  
 „ adeo à vero alienum, ut Lutherus eam publicauerit, totiusq; orbis  
 „ Christiani iudicium subire non dubitauerit, nec erubuerit. Posteri-  
 „ us de voce ab eo emissa: Quod si talem emisisset vocem Lutherus,  
 „ Eckius pro sua proteruitate, non dissimulaturus erat. Et à quo  
 „ hoc memoria esse proditum? Nisi forte ab hoste profectum, quod  
 „ quantum habeat momenti, omnes nouerunt.

Tale etiam esse, quod impudentissimè confingit, calumniatur,  
 „ mentitur & spargit: Lutherum faceri, se, authore & suasore De-  
 „ mone, Missæ oppugnationem & abrogationem suscepisse: cum tan-  
 „ tum luctam & disputationem cum Sathana habitam, describat, &  
 „ quid sibi meditati Missæ impia, cœnæq; Domini prophanationis  
 „ abrogationem, ille obiecerit: cuiusmodi luctarum expertes sunt  
 „ ociosi & voluptatibus ebrij Papicolæ, qui cum legunt Apostoli Pau-  
 „ li agonem cum Angelo Sathana, se colaphisante, & de stimulo in  
 „ in carnem dato, libidines imaginantur. A quibus Paulum haud  
 „ dubiè liberauerunt certamina & afflictiones, quæ recenset ordine,  
 „ 2. Cor. 11. Longè igitur alia fuere certamina, quæ non nisi exercita-  
 „ ti, & qui experti sunt, intelligunt.

Fol. 156. 157.

Fol. 158. 159.

„ Hoc verò ingens Lutheranorum scelus autumat, & minimè  
 „ ferendos doctores, sed à Magistratibus suis propterea ad extremos  
 „ Garamantes ablegandos, docentes: etiam appetitiones aliàs nobis in-  
 „ uitis, aut præter cogitationem exortas, flagitium esse, hoc esse, pri-  
 „ mos motus contra legem Dei exortos, peccatum esse: Rationibus ad-  
 „ ditis, quod non sint in nostra potestate, sed à natura exoriantur. Et  
 „ sic Deum matrem & sentinam omnium flagitiorum nos constituere.

Respon-

Respondeo: Miror, cur non etiam vulgare illud ex Scholæ Ethnicorum proferas: Cogitationis pœnam nemo patitur.

Sed quid tibi in mentem venit, quòd Bellum contra Prophetas & Apostolos Domini, imò Christum ipsum suscipere voluisti? An non enim Moses disertè testatur, quod etiam paulò superius recitauimus: Omnem cogitationem humani cordis, **TANTVM MALAM** esse à pueritia? De primis loquitur motibus, & cogitationibus etiam obiter incidentibus, & prateruolantibus, etiam cum nullus illis præberetur consensus. Et sic de omnibus cogitationibus malis, cum lege Dei pugnantibus. Sic Christus quoq; sapenur: emerò Iudæos hoc nomine reprehendit & damnauit: Quid, inquit, cogitatis mala in cordibus vestris? Et in genere inquit: Ex corde exeunt cogitationes mala. Hinc Paulus testatur: Nò sumus (inquit) sufficientes, nec quidem cogitare aliquid boni ex nobis, tanquam ex nobis. Sed Deus est, qui operatur **VELLE** & perficere. Et iterum: Sensus carnis mors est, & inimicitia aduersus Deum &c.

Consentit & Hilarius: quæ impia, inquit, sunt, vel cogitasse iam crimen est. Idem, nec sufficit non egisse impium aliquid, si mente cogitatur impietas.

Hilarius Enar. in  
Psalmum. 1.  
Idem in Psal. 65.

Sicut ergo olim tempore Christi Pharisei non intelligebant legem, nisi de externis & manifestis sceleribus, concupiscentiam vero & primos motus ac cogitationes minimè peccata esse iudicabant: Vnde Christus illis interpretatur legem de concupiscentia quoq;. Ita plane ad eundem modum, noui Pharisei isti, verumq; negant, & cum Pelagianis, naturæ hominis corrupti bonitatem & integritatem prædicant: Non agnoscetes, nec sentientes cæci & lepra peccati percussi, morbi originalis magnitudinem. Vnde & charitate iustos esse coram Deo formaliter autumant, sibiq; falso persuadent hypocritæ. Hoc modo, extenuato, imò negato peccato, extenuatur etiam beneficium Christi, quod in propria transferetur opera, & ideò Christus illis nihil prodest. Hi ergo perniciosi & falsi doctores, lupi rapaces

Matth. 5.

ces cum suo vlulatu, proscibendi, ditionibus Germania ei sciendi, & ad Garamantes extremos relegandi erant.

Fol. 158.

Sed parum hoc Canonico videtur: nisi etiam apud Illustriss. Principem Vvircenbergicum, Dominum nostrum clementissimum nos in suspicionem adducat, inq̄ odium rapiat. Vtinam, inquit, Illustriss. Princeps Vvircenbergensis, quibus se crederet, paulò diligentius consideraret. Stupidum esse sapientulus iste arbitratur, cui non magnoperè cura sit religionis doctrina, animæq̄ propria salus: qui tantum alienis videat oculis, & quò trahatur à nobis, sequatur, cum tamen Celsitudo eius ipsamet & nostra legat Scripta & approbet, ac singulis diebus lectioni Sacre aliquid temporis tribuat. Sed ex suo ingenio, suorumq̄ affectuum moribus, & Principem nostrum Illustrissimum, & nos Theologos, Celsitudinis ipsius iudicans: qui non solum viduarum subintrant, sed in aulis præcipuè Regum & Principum & Magnatum se insinuant, ut quos possint, in suas nassas pertrahant, deuorantes non viduarum modò domos, sed etiam potentum thesauros exhauriant, circumeuntes aridum & maria, non secus ac olim Pharisei veteres, ut faciant proselytos, quod vbi factum fuerit, faciunt eos duplò filios gehennæ, quàm antea. Ideò vae vobis Scribis & Phariseis, genimina viperarum, quomodo effugietis ignem gehennæ? His vestris moribus nunquam.

Matth. 23.

Fol. 159.

Dixi in mea disputatione: Pontificios articulum, Credo remissionem peccatorum, corrupisse. Hac mea verba variè calumniatur potius, quàm interpretatur, varios illis affingens sensus. Sed nihil fictione opus est: hoc enim volo, quod facillè intelligit: quòd doceant, homines non posse, nec debere certò statuere, & credere sibi, sibi, inquam, remissa esse peccata. Sed esse in Ecclesia remissionem peccatorum, hoc est, clauis.

Fol. 160.

Quod hinc obiter inserit: Christi meritum nobis nil profuturum, se arbitrari, quòd ab Ecclesia secessionem fecerimus. Respondeo: fatemur

remur libenter & quidem magna voce: nos à Pontificia, & sic à Diaboli synagoga secessisse. Quod impulsore Spiritu sancto fecimus, clamante: *Exite, exite de Babylone populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiat is.* Quoniam peruenerunt peccata eius ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatis eius. *Reddite ei duplicia, &c.* Ab hac, inquam, Antichristiana exiimus, nequaquam verò à vera Dei Ecclesia. Et secessionis huius nostra ab Antichristiana Pontificia Ecclesia, causas in præcedentibus reddidimus grauissimas. Porro verum esse, quod scripsi, corruptisse ipsos Articulum, de remissione peccatorum, nec eis à me factam iniuriam, iam confirmat Canonicus dicens: *Omnes ad hanc certissimam spem erigimus, certoq; hoc omnibus proponimus, in Ecclesia Christi veras esse clauas, ac remissionem peccatorum, eamq; Christum omnibus abundè promeruisse. Vt autem credas, hanc remissionem omnes esse consecutos, Scriptura prohibet te credere.*

Apocalyp. 17.

Fol. 161.

Respondeo: *An verò te non pudet horum Canonice? Et quis te hoc credere iussit? Non equidem nos. Sicut & hoc palpabile est Canonicum mendacium: si quis ad finem non perseuerauerit, hunc si quis nihilominus saluari statuit (quod facitis vos) Vbi? quaso te, doce, monstra librum, caput, folium, vbi hoc doceamus, si vir bonus es. Qui ergo saluabuntur? Patescit, inquit, Christus, aditum ad regnum cælorum. Quibus? Sed aderit, inquit, Christus ijs, qui mandata Diuina seruauerint. Respondeo: qui vos audit doctores, & sequitur: Nemo ergo saluabitur, sed omnes excludentur à regno cælorum. Quia nemo seruat, nec seruare potest. Præclaros ergo Ecclesie Doctores.*

Fol. 162.

Damnandos eos dicit: qui per digna pœnitentiæ opera, passionis & mortis Christi fructum in se transferre minimè sunt conati.

Fol. 163.

Respondeo: Minimè per opera pœnitentiæ, mortis & passionis Christi merita ad nos transferimus. Hac enim effectus sunt pœnitentiæ,



centia facite fructus pœnitentia dignos, ideo causa salutis esse non possunt. Sed applicant sibi singuli beneficia passionis Christi per fidem: hæc instrumentum est, ceu manus, qua apprehenduntur. Nec ideo bonorum & malorum in extremo iudicio nulla erit ratio. Verè enim in Christum credentes saluabuntur: Non credentes damnabuntur. Et dabitur unicuique secundum opera sua.

Fol. 164. Nec hoc volumus aut docuimus vnquam, quod nobis malitiose assingis, certò tibi vt persuadeas, omnes in Ecclesia esse sanctos & iustos. Respondeo: Et quis hoc vnquam docuit nisi de verè in ea credentibus, & sic de sola electorum Ecclesia, siue veris Ecclesie membris id intelligatur. Porrò quod scribis: Effugere non potestis, Heerbrande, quin aliquid in nobis esse concedatis, quod hanc in nobis per suasionem augeat & confirmet, nimirum, vt à peccatis auersi ad Deum simus conuersi.

Rom. 4. Respondeo: Si de vera ad Deum conuersione, qua fit fide, accipiat, consentio: sic enim Apostolus scribit: Ideo ex fide gratis, vt firma sit promissio omni semini. Fides ergo hoc est, qua certi sumus nos esse in gratia apud Deum, habere nos remissionem peccatorum, iustos esse, & heredes regni cœlorum. Secus de Papistica conuersione.

Fol. 165. Verum hic instat Canonicus: sed quero, inquit, iam abs te, quid statuendum, si quis conuersus sibi videatur, qui conuersus non sit: Nam vt exemplis rem doceamus: Videtur sibi conuersus Lutheranus, eandem iactat Calvinista, Anabaptista, Suuencfeldianus &c. Sic Saulus adhuc persecutor Christianorum.

Respondeo. Cum de conuersione ad Deum loquimur, non loquimur de Turcis, Iudæis, nec etiam de Hereticis, aut Sæctarijs damnatis, sicut nec de vobis Papiculis seductoribus simplicium, qui à vobis dependent: sed de verè credentibus. Nam quod ad eos, qui sæctis varijs sunt diuisi: opiniones hæ sunt variæ, & inanes persuasiones, fundamento carentes & super arenam ædificantes, non super firmam petram salutis nostræ, Christum, qui lapis est fundamentalis

talibus, in quem qui credit, non confundetur nec fugiet. Hoc nititur credens verbo eius, ideo immotus manet, iuxta illud Psalmi: Qui confidit in Domino sicut mons Sion, non commouebitur in aeternum. Sic Paulus: Scio cui credidi: Et Apostolus Ioannes: Scimus quod filij Dei sumus. Non de se solo loquitur, sed de omnibus credentibus. Et Spes hac non confundit.

1. Ioan. 5.

Rom. 5.

Vos verò Romanenses, qui omnia creditis, praterquam quod vnicè credendum erat de Christo, gratuita peccatorum remissione, per & propter ipsum: quia operibus vestris nitimini, confidentes in vobis ipsis: nunquam ex his vestris persuasionibus certi esse de salute vestra poteritis, sed perpetuò dubitandum est, & erit, quia nunquam Legi Dei satisfacere potestis aut satis honorum operum habere: cumq; nemo dicere possit: mundum est cor meum & purus sum à peccatis: quod verum est: Rectè ex vestra doctrina de legis diuinae obseruatione ad iustitiam necessaria dubitationis carnificina oritur & sequitur. Planè enim, si nostram dignitatem & qualitatem consideremus, non tantum dubitandum est, sed omnino desperandum erit: Hoc vobis libentissimè & rectissimè largimur, quid tibi vis amplius?

Fol. 166.

Quod verò addis: Si non teneor de hoc vel illo, certè neq; de me credere tenebor.

Resp. Quàm ridiculum hoc est, & minimè Theologicum. Si puer ita argumtèaretur, nescio quomodo exciperetur. Sed nego consequentiam. Apostolus enim dicit: VO SMET IPSOS tentate, si estis in fide, IPSI VOS probate. Non vult nos alios probare, num credant, sed NOS IPSOS. Quis enim scit hominum, quae sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est?

2. Cor. vi.

1. Cor. 2.

Non vult autem Canonicus cum suis certus esse de remissione peccatorum & salute aeterna, sed dubitare perpetuò. Ideo dicit: Quare impias illas tuas voces Heerbrande, execrari satis non possum, cum inquis: vt peccator paenitens & credens in Christum certo sta-

Fol. 176.

cc

cc

cc

- „ in Christum certo statuatur, & firmiter credere debeat, sibi remissa  
 „ esse peccata, se esse in gratia apud Deum, se adoptatum in filium &c.  
 „ Quid enim impudentius aut perniciosius excogitari potest, quàm te-  
 „ mere & arroganter Dei amorem sibi polliceri, seq̄ in sanctorum nu-  
 „ mero collocare, cum Scriptura contrarium passim doceat? Nescit  
 „ homo odio an amore dignus sit.

Impia ergò, execranda, impudentissima, & perniciosissima vox  
 in auribus & mente Canonici est: Credo remissionem peccatorum  
 per & propter Christum gratis. Quid est, Credo? Idem ne tibi Domi-  
 ne Canonice, significat credo, quòd dubito? Aliter definit fidem &  
 credere Apostolus, cum ait, Rom. 4. quòd idem sit, quòd non hasita-  
 re diffidentia. Dubitationem ergo vestram damnat. Articulum  
 itaq̄, Symboli Apostolici, sicut & execraris Canonice, in concilio abulo-  
 Tridentino solenniter damnatum audimus, ut iam non amplius  
 credamus, sed dubitemus, remissa nobis sint peccata, nec ne. An non  
 istae Canonice, execratae sunt voces? An non haec plusquam Dia-  
 bolica est Papistarum doctrina, qua de salute animarum perpetua  
 tota periclitatur Ecclesia, si admittatur? imò planè actum sit de  
 ea. Hic declamandi materia mihi esset oblata, si non potius dispu-  
 tandum esset, quàm istius more declamandum.

Deus de suo erga peccatores amore, nos voluit esse quàm cer-  
 tissimos, quem ipse verbis & factis testatum nobis fecit. Sic enim  
 Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis  
 qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Aposto-  
 lus Deum nos dilexisse testatur, cum adhuc inimici essemus. Et  
 idem alibi, pulcherrimis verborum luminibus, Deum, erga homini-  
 nes amorem suum & benignitatem declarasse, donato filio, descri-  
 bit, in quo & nos ante mundi constitutionem elegit.

An ergo hìc Deum mendacij arguam, aut de amore eius &

num

num verax sit dubitem? O blasphemus, non ferendus in Ecclesia doctores, qui etiam piorum hominum conuersatione sunt indigni, Deum mendacij in suo verbo arguere volentes.

At temeritas est, & arrogantia, dicit Canonicus, Dei amorem sibi polliceri, seque in sanctorum numero reponere? Respondeo: <sup>“August. in Psal. 84.”</sup> Audi saltem Augustinum: Audebo ergo dicere, quoniam sanctus sum? si sanctus sanctificatus, dicat unusquisque fidelium, S ANCTVS SVM. Non est ista, attende Canonicus, superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es.

Et an non Paulus passim suis auditoribus scribit, sanctis, à Spiritu sancto sanctificatis? Qui enim Spiritum Christi non habet, is non est eius. <sup>Rom. 8.</sup>

Amplius autem instat, & dubitationem suam Scripturae testimonij detortis & deprauatis, confirmare conatur. Et primum ex Ecclesiaste, quem locum etiam supra bis allegauit.

Quod igitur hunc ad locum attinet: Nescit homo, odio an amore dignus sit, Fallacia est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, ut Dialectici loquuntur. Scimus enim, Deum pios, hoc est verè credentes in Christum, suo fauore & amore prosequi, impios & incredulos odisse. Sed hoc vult sapiens: ex euentu externo rerum huius mundi, non posse statui, num quis sit in odio vel amore Dei: Sicut in immediatè sequentibus explicat: quia ea eueniant iniusto & iniusto &c.

Sic non se iustificet homo coram Deo, inquit. Respondeo: <sup>Syrac. 5.</sup> Ex proprijs suis operibus, quod facitis Papiola: hinc semper vobis re. Et dubitandum. In quam sententiam Pauli illud à te allegatum: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus.

accipiendum. Quod maximè contra vos facit, qui ex operibus iustificari vultis. Et Dominus se cordium scrutatorem vocat. An non  
 Ierem. 17. 22 vos Lutherani, inquit, Dei iudicium usurpatis, qui vos corda scrutari & cognoscere confiditis? Respondeo: Non scrutamur aliena corda, sed nec nostra per scrutari possumus. Veruntamen probamus nos, num simus in fide, quod Apostolus præcipit. 2. Cor. ultimo. Quòd igitur  
 1. Cor. 4. 23 Apostolus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus, qui autem me iudicat, Dominus est: Hoc dicit: Ne quidem bonæ conscientie iustitiam, coram tribunali Dei posse consistere. Quia ex operibus non iustificabitur, coram illo omnis homo. Sed Dominum in extremo iudicio declaraturum, docet Apostolus, quis alteri sit præferendus, pro donorum, laborum, & fidelitatis ratione.

Fol. 169. 22 Non ergo nos Dei sententiam de nobis anteuertimus: hanc enim antea & tulit, & nobis patefecit, quos velit & in hac vita iustificare, & illic perpetuò saluare vel damnare. Sic illud quoq; Iobis:  
 Fol. 17. 23 Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me &c, accipiendum, videlicet, ex meis proprijs operibus, quod facitis Pharisæi. Omnes enim peccatores. Non ergo intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo (ex operibus proprijs) omnis viuens.

Mitto hinc inuectiuas acerbissimas, virulentissimi hypocritæ, mitto amplificationes, exclamationes, declamationes Rhetorculi, quibus cum veris destituatur, probationibus & argumentis, quibus impiam suam Academicam & verbo Dei damnatam dubitationem confirmare possit, ad nos obruendos, clamoribus suis vititur. Conuictiari, sicut & impertinentia allegare, non est probare causa veritatem. Sicut multa hic cumulat, perperam citata Scripturæ testimonia, ne sine illis loqui videatur, & fucum suis faciat, eosque in impia ista & damnata dubitatione conseruet, quasi sua, Scripturis scilicet, egregiè probauerit,

rit, impertinentibus, & improprijs, cum solidas nostras ex verbo Dei refutationes illorum, cognoscere ipsis non liceat, quod cauent sedulo.

Quale est illud: De propiciato peccato noli esse sine metu. Non enim vult sapiens homines de peccatorum suorum remissione dubitare, de qua nos verbo Dei certissimos esse oportet, sed prohibet securitatem, & ne Dei misericordia atque longanimitate abutantur ad cumulanda peccata, sicut ex ipso contextu orationis, ex precedentibus & consequentibus apparet. Ita enim habent verba: Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est pateriens redditor. De propiciato (rectius impunito peccato) noli esse sine metu, ne adicias peccatum super peccatum, & ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

Concio est, contra securitatem carnalem, & impenitentiam, qua homines carnaliter Dei longanimitate, ad cumulanda peccata abutuntur: qua & nos damnamus. Interim non confirmant haec, impiam & incredulam dubitationem.

Quod igitur addit: Cur Ieremias, Ioel, Ionas, veteris Testamenti vates, homines ad hanc fiduciam non erexerunt?

Respondeo: Vtiq; fecerunt: sed tu, caece Pharisae, in Scriptura caecus, ut caecus in meridie palpitans, non vides. Quid enim aliud fecit Esaias, cum dixit: Notitia sui, iustificabit ipse seruus meus multos, quia peccata ipsorum tulit? Quid Ieremias, cum Christum venturum vocat Dominum, iustitiam nostram? Sicut supra quoq; ex Iona ostendimus, dicente: Crediderunt Ninivites in Dominum. Vt alia sexcenta omittam. Sed tibi liber est signatus Biblia, & manet velum Mosaicum ob oculos tuos, ut cum Pharisaeis non nisi opera videas, gloriam vero Christi nequaquam. Ideoq; frustra de tantis rebus vobiscum disputatur.

Hinc fit, ut doctrinam de fidei certitudine, nulli paenitenti, &

verè credenti in Christum, de sua salute esse dubitandum: sed omnibus credentibus esse certam, Diabolo adscribat Canonicus, qui hominum animis hanc opinionem inseruerit.

O cœcitatem, ô malitiam Diabolicam, ô blasphemiam. Sed hoc ideo scribit, ne à suis Maioribus Iudæis, & Phariseis degenerasse videatur: maledicti enim isti nebulones eisdem planè verbis Christum blasphemabant, dicentes: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & demonium habes?

Ergo Georgi miser, & cœce in Scriptura S. iuxta hanc tuam sententiam de nostra doctrina, quam tulisti, & Pauli & Petri, Iohannis & omnium Prophetarum doctrina, à Diabolo orta est? Hi enim omnes magno consensu, idem (quod suprâ demonstrauimus) docuerunt, quod nos, de fidei certitudine.

Rom. 3. 4.  
Eol. 172. 173.

Sed hinc fit, inquit, ut homines in quoduis flagitiorum genus præcipites ruant. Respondeo: Coccysimum suum ingeminat. Sed hoc non doctrinæ tribuendum est, verùm hominū vitio. Nos. n. nec securitatem, neque inobedientiam erga Christum, eiusq. verbum docemus: sed cum Apostolis, ad timorem Dei, pietatem, innocentiam, sanctitatem, iustitiam, sobrietatem, castitatem, & si qua est alia virtus, studiosè horeamur. Quòd verò non omnes obediunt veritati, sicut nec Christo docente, nec Apostolis, omnes sunt conuersi, non doctrinæ sincera est adscribendum, sed hominum malitia.

Eol. 174. 175.

Vos verò quod attinet Gottharde, in hac de iustificatione fidei disputatione, ideo erratis, quòd ignoratis Scripturas, quod præcipuum est in illis, discrimen Euangelij & Legis, non intelligitis, sed vtrunque doctrinæ genus longè diuersissimum, confunditis: promissionem remissionis peccatorum, & vitæ aeternæ, conditionalem facientes, & propter meritum bonorum operum dari vitam æternam sentientes, sicut hîc dicitis: hinc non sine causa additum, si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quoties, Deum immortalem, hoc Scribarum, & Phariseorum dicitur, repetit Canonicus?

eius? Sed hac via & ratione nemo ingreditur, quia nemo seruat. Ideo alia via ad regnum cælorum est præscripta, per Euangelium de Christo, ad quem vera fide conuersi, eumq; apprehendentes, remissionem peccatorum & vitam æternam consequuntur gratis. Hoc Scriptura Sacra docet, hoc Apostolus cum multis locis alijs, tum ad Rom. Quod impossibile erat legi (vt scilicet per eius obseruationem iustificaremur) quia per carnem infirmabatur: hoc Deus fecit, misso filio suo in similitudinem carnis peccatricis, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Rom. 8.

Sed hæc non est conditio, nec conditionalis vitæ æternæ promissio, cum sit donum Dei gratuitum in Christo Iesu. Qui solus eam est meritis sua passione, ad hoc non indigens nostra opera. Non enim vir de gentibus secum. Esa. 63.

In hoc ergo, Papiста, erratis, quod semper somnatis, vitam æternam esse meritum bonorum operum, & annexam habere conditionem, impletæ & seruatae legis. Hæc imaginatio & phantasia Pharisæica, vitrum est blauum, quo colore ita oculi vestri præstringuntur & imbuuntur, vt non nisi opera videatis. Quemadmodum Pharisæi non aliud querebant, quàm, quid faciendo vitam æternam possiderent? Quod est mandatum magnum in lege? Iam quod Baptista ad fructus pœnitentiæ dignos est adhortatus: effectus hi sunt, qui pœnitentiæ consequuntur, quæ vtraq; hoc est, pœnitentiæ & fructus eius, necessaria esse docemus. Sed hæc quid sint, vos non intelligitis, verum tantum de vestris operibus, attritione, contritione, auriculari confessione, operum electiorum satisfactione, nugamini. Loquitur autem Baptista non de istis Pharisæicis operibus, sed de à Deo præceptis, quæ sequuntur veræ & salutaræ ad Deum conuersione, quæ fit per fidem, vt antea monuimus. Et hæc cum fructus sint & effectus Christianæ pœnitentiæ et cōuersionis, Eol. 175. 1761  
causa



- Causa vel meritum iustificationis & vitæ æternæ esse non possunt, cum hæc antiè per fidem in Christum gratis simus consecuti. Et ideo Gratis, Gratis inquam, absque operibus: ut firma sit & certa promissio, ne vobiscum de ea dubitare cogamur: quam impiam dubitationem hic excludit Apostolus, & alibi damnat exemplo Abrahae.*
- Rom. 4. *Et quod addit: Scripturæ Sacrae testimonijs homines de sua salute sollicitos esse debere, docemus. Respondeo: hoc ipsum nos quoque docemus. Et quis hoc unquam negavit? Aliud verò longè est, dubitare, aliud sollicitum esse de salute. Hoc requirit Spiritus sanctus in Scripturis: illud damnat.*
- Fol. 176. *Deum filium suum mediatorem constituisse: ut ex indignis dignos faceret. Respondeo: non certè de propria operum nostrorum dignitate loquitur Apostolus. Sumus enim & manemus semper quod ad nos, nostrasque personas, non solum indigni, sed etiam immundi omnes nos, omnesque iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ. Dignitas autem nostra in Christo consistit, cuius iustitia & dignitas nobis imputatur & donatur.*
- Fol. 177. *Porro vitam æternam aliquo modo à nobis dependere, quod scribit: Qui enim creavit nos sine nobis, non saluabit nos sine nobis: Respondeo: Hoc vult Augustinus: fidem oportere in nobis accedere, qua Christum salutis authorem & datorem singuli apprehendamus. Non tamen hinc sequitur, vitam æternam à nobis dependere, utrumque enim Dei opus est & donum, & fides & salus æterna, per Christum parca & donata. Illud enim aliud non esset, quam si mendicus manum expandens, eleemosynamque à diuice accipiens, superbiret, gloriaretur, & diceret: Ecce, hac mea manu, ego paravi hanc pecuniam. Is meritò, rideretur ab hominibus. Sed*
- Col. 1. *quod ait: Sicut constanter negamus fidem vestram specialem, qua nobis peccata remissa certò credamus: Sic, inquit, firmissimè affirmamus, quemcumque Sacris Christianis institutum, ac ad legis diuinæ observationem pro viribus aspirantem, firma ac certa spe debere*
112. 64. *expecta-*

expectare in hac vita, per Sacramentum Baptismi, & penitentia, <sup>cc</sup>  
remissionem peccatorum, in seculo autem futuro vitam eternam. <sup>cc</sup>

Rom miram, veram & Apostolicam, atq; Propheticam fidem  
Verbo Dei à nobis requisitam, quia singuli credunt, per & propter  
Christum, eiusq; meritum, passionem & mortem gratis sibi remitti  
peccata, damnant isti homines. Paulus certè specialem fidem confr- Gal. 2.  
mat & approbat, eum inquit: Christus dilexit ME, & tradidit se-  
metipsum PRO ME. Sic Angelus ad pastores: Annuncio VO- Luc. 2.  
BIS, miseris pastoribus & peccatoribus, gaudium magnum, quia  
natus est VOBIS Saluator. Sic Isaias: Puer natus est & NOBIS, Isa. 9.  
& filius datus est NOBIS.

Interim verò per suam penitentiam hypocriticam, contritio-  
nem, confessionem, & satisfactionem, in qua Christi & fidei nulla fit  
mentio, & sic per sola opera propria, firmissimè affirmant, firma  
& certa spe debere expectare (sed non credere) in hac vita remissio-  
nem peccatorum, & in seculo futuro vitam eternam consequi  
docent. Quibus nihil est non modò infirmius, & incertius, sed et-  
iam ad salutem perniciosius, Apostolo dicente: A Christo, Gratia &  
fide excidistis, qui in lege iustificamini. Quid de Electiis operibus  
dicturus Apostolus?

Periculum est, ne prorsus fide, si quam habent, excidant isti ho- 2. Pet. 2.  
mines, & Echnici fiant. Imò impletum esse videmus, quod olim D.  
Petrus Apostolus est vaticinatus, venturos Magistros mendaces,  
qui introducturi sint sectas, & eum, qui emit eos, Deum negaturi.  
An non suis coloribus depinxit Pofinticios Doctores, mendaces  
Magistros, qui introduxerunt sectas (ordines ipsi vocant) innume-  
ras? negantes Christum, qui eos redemit suo sanguine, siquidem ne-  
gant proprium eius officium & beneficium.

In hoc solo constantes, aliàs dubij semper in fide. Cum verò ad  
propria ipsorum opera peruentum est, & legis obseruationem, certa  
spe expectant (nulla hinc fides) remissionem peccatorum & vitã eter-  
nam,

nam, ubi verò Deus passim promittit in Scriptura, remissionem peccatorum, & gratis offert, ibi nec credere nec accipere volunt. Sed de suis meritis & operibus, de quibus nihil habent, certi sunt, & expectant certa spe (sed non certa fide) in hac vita remissionem peccatorum, in seculo autem futuro vitam æternam. Atq; ita maior, in istis hominibus, certitudo in propria bona opera, legisq; observationem, quàm in Christum, eius passionem & meritum. Quæ fides, religio & doctrina Phariseorum fuit, Luc. 18. Quæ & damnati sunt. Sicut & hæc spes illorum, quòd non in Christo solo, & unico redemptore posita sit, confundet eos, quemadmodum & Phariseos superbos iustitiosos.

- Fol. 178. Putares autem, Canonicum ad nostra concessisse castra, cum in-
- 22 qui: Firma ac solida nostra spes, qua omnes nitimur, non in nos, sed
- 23 in Deum fixa esse debet, quem cum spectamus, de eius promissione
- 24 dubitare nullo modo possumus. Quid? Num singuli non dubitare debent? Non puto. Nam specialem fidem antè reprobavit & est execratus, sed cur non etiam de firma & solida fide absq; ulla dubitatione ita loqueris, Canonicè? cum non minus firmas Dei promissiones in Scriptura habeas, eiusq; exemplum illustre Apostolus proponat, Patriarcham Abraham, cuius fides est illi reputata ad iustitiam, quia in promissione Dei non hæsitauerit diffidendi: sed confortatus sit fide, plenissimè sciens, quòd quæcumq; Deus promissit, potens est facere, ideò hoc reputatum illi esse ad iustitiam. Hæc verborum pondera, mouere debebant aduersarios, ne contra fidei saluificæ certitudinem, pro astruenda dubitatione blasphema, tam acriter concenderent. Sed obstat illis indispositio propria? verum fides, non nostras qualitates incuetur, sed Christum mediatorem unicum, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Quibusdam alijs locis etiam ex Scriptura S. adductis,
2. Cor. 2. dubitationem suam confirmare, sed frustra, nititur. Nam quòd A-
- Fol. 179. postolus ad timorem & tremorem nos hortatur, non impiam dubi-
- Rom. 11. rationem.

rationem Papisticam docere aut cōfirmare : sed securitatem carnalem, & de proprijs viribus præsumptionem excutere voluit, ne Deum patrem offendamus peccatis contra conscientiam. Est autem non seruilis, sed filialis hic timor.

Eadem sententia est loci Proverbiorum : Beatus qui semper est pauidus : hoc est, felix est, qui semper in timore Domini viuit : & cauet, ne offendant Deum Patrem cælestem. Aliud autem timor Dei castus est, aliud dubitatio.

Sicut & illius : Qui sine timore est, iustificari nullo modo potest. Et si hic liber inter Canonicos non numeretur : tamen respondimus. Non loquitur de iustificatione coram Deo, qua homo à peccatis absoluitur : sed hoc dicit, ut in textu habetur, iracundos homines, & affectibus suis indulgentes, Deo non probari, neq; etiam exitium euitare posse. Sed hæc quid ad dubitationem Pontificiam, de peccatorum remissione credentium? Miror autem Canonici in-  
 eptias, & Scripturæ Sacræ ignorantiam : quòd pro confirmatione impia sue sententiæ de dubitatione, Locum Iobis voluerit adducere, cum inquit : Etiam si me occiderit, tamen sperabo in eum : cum a deo nihil ad confirmandam dubitationem in fide faciat, ut maxime fiduciam, & certitudinem fidei in Deum confirmet. Et hoc ipsum vult, quod Apostolus sua plerophoria, cum scribit : Quis igitur separabit nos à dilectione Christi? Tribulatio, an angustia? an persecutio, an gladius? Certus sum enim quia neq; mors, neq; vitæ poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino meo. Sed iudico, eum studio elegantie latini sermonis impeditum, quo lectoribus se satisfacturum sperabat, de rebus Theologicis, & Scripturæ S. testimonijs, horumq; sententiæ genuina, minus fuisse sollicitum.

Multiplicem autem facit certitudinem, primò ex parte obiecti, sed hoc est verbum Dei infallibile, ex quo oritur, & in quod fides incuetur, quo tanquam fundamento immoto nititur. Sicut paulò ante

Rom. 4.

de Abraham est dictum, quod in promissione Dei non habitaerit diffidentia, plenissime sciens, quod quacumque promissit Deus, potens est & facere.

Altera, inquit, se tenet ex parte intellectus, qua assentior firmiter propositioni falsa, quam existimo esse veram. Talis fuit certitudo Pharisei illius Evangelici de sua iustitia.

Risum tenece amici. An non ille de legali sua Pharisaeica operum, & Papistica iustitia est gloriatus? Talis est certitudo vestra de electivis cultibus, quos Deo gratiores esse contenditur, quam à Deo institutos. Quod maiori alacritate homines illos praesent, quam à Deo mandatos. Talis est certitudo vestra de purgatorio Platonico & Poëtico, & de alijs vestris nugis & phantasijs, aut potius impietatibus.

D. Heshufins.

Talis, inquit, est haereticorum, nostri temporis certitudo. Heus Canonice, quid tandem toties crepas sine sine haeticos? cum haeticas opiniones foueatis innumeras: sicut nostram quidam in Libello quodam, ultra sexcentos errores vestros collegit, quem nondum refutastis.

Fol. 181.

Certitudinem fidei Diuinae vniuersalis vel particularis, qua sit infallibilis, ideo hanc quenquam habere posse negant. Quia multi, qui se apud Deum in gratia esse putant, opinione sua fallantur. Ideo neminem de salute sua certum esse posse, docent & sentiunt. Sed sufficere aliquam moralem (non fidei) certitudinem, quae ad pacandas conscientias sufficiat, & bene sperare de vita aeterna. De fidei certitudine haecenus satis multa dicta sunt, eaq; Scripturae sacrae testimonijs comprobata: ideo breuitari studentes, copiosam explicationem & confirmationem hinc non instituemus. Sed vnde impia haec desperationis & blasphemiae in Diuinam Maiestatem, quae in suo verbo mendacij arguitur, dubitatio oritur? Respondeo: Ex istorum doctrina de iustificatione, qua qualitatibus proprijs, hoc est, charitate infusa constare, & sic legis diuinae obseruatione, bonisq; operibus arbitrantur & sentiunt.

Cum

Cum igitur nemo statueret possit, se mandata Dei fecisse omnia, & quidem perfecte: Hinc aliud non, nisi perpetua dubitatio sequitur & conscientiae carnificina. Hanc ut aliquo modo pacatorem reddant, & sopiant, vel sepeliant, dubitationem istam, seu potius diffidentiam, peccatum esse negant. Postea homines bene sperare iubent (nequaquam autem certo credere) de vita aeterna. Quod si quid praeter spem eueniat, ut à caelo aberret & in purgatorium miratur, igni isto à peccatis expurgatum, ut argentum à scorijs, vinorumq; suffragijs liberatum, nesciunt quando, in caelum animam euolaturam, scilicet, sicut vacca in foramen muris.

Eandem impietatem & dubitationem Conciliabulum Tridentinum confirmavit, damnata religione, & fide Christiana, de fidei certitudine, & gratuita peccatorum per fidem in Christum remissione: vanam, & ab omni pietate remotam fiduciam appellat. Quilibet enim dum seipsum, suamq; propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest. Fol. 127.

Imò non solum dubitare & timere potest, sed & desperare debet. Ideo non propria indispositio intucenda, sed in Christum redemptorem, qui est, ut in lege olim, typicum, ita verum nostrum propitiatorium, respicere debet, cuius sanguis emundat nos ab omni peccato. Fol. 122.

Ideo ex fide, ut secundum gratiam, FIRMA sit promissio: non in se tantum, quia Dei verbum, de quo nemo dubitat Christianus: Sed etiam nobis firma, ne dubitemus, nos esse in gratia apud Deum: ideo addit, OMNI SEMINI. Sicut de speciali fide Apostolus loquitur: probate vosmetipsos, an sitis in fide: An ne cognoscitis vos ipsos, quod Iesus Christus in vobis sit, nisi forsan reprobis estis. Item: Quis igitur separabit NOS à dilectione Dei, quod non de nostra, qua nos Deum diligimus, sed Dei erga nos dilectione, est accipiendum: ideo addit, quae est in Christo Iesu. Et iterum: Deus est, qui ob signauit nos, deditq; arrham Spiritus in cordibus nostris. Rom. 2.  
2. Cor. 13.  
Rom. 8.  
2. Cor. 1.

Iohan. 3.

Iohan. 6.

nostris. Et paulò superius ex Ioanne dictum est: Scimus, quòd filij Dei simus. Item, scimus, quòd translati simus à morte in vitam. Item: Hec scribo vobis, qui creditis in nomen filij Dei, vt sciatís, quòd vitam æternam habeatís.

Falsissimum est igitur, & perniciosissimum, ac planè Diabolicum dogma, quòd additur à Conciliabulo: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Vnde enim illa, quæ iam posuimus, de speciali, quam isti condemnant, fide? Scimus, scimus, scimus: NOS, NOS, NOS. Tentate VOS, VOS, an sitis in fide. Annon agnoscitis VOS IPSOS, quòd Christus in VOBIS sit?

Pol. 123

Tandem ne quid Aduersarius intentatum relinquat, pro sua impie, verboq; Dei damnata dubitationis defensione, Caluini nobis & Buceri opponit testimonia, quibus tamen impietatem Papisticam minimè confirmat.

Sic certos, scribit Caluinus (prout eius verba ponit Canonicus) nos Dominus esse iubet, vt tamen securos esse nolit. Manifestè certitudinem fidei confirmat. Sed tamen ita, vt securos esse nolit. Et quis nostrum securitatem carnalem probauit vnquam?

Alterum est testimonium ex eodem: Quin potius dicimus, perpetuum esse fidelibus certamen cum sua ipsorum dissidentia, tantum abest, vt eorum consciências in placida aliqua quiete collocemus, quæ nullis omnino turbis interpellatur. Rursus tamen qualemcunq; in modum afflicentur, decidere atq; desciscere negamus **A CERTA** illa, quam de Dei misericordia concepimus **FIDUCIA**.

Hoc ne dubitationem perpetuam est approbare? proprijsimè Caluinus nostram de certitudine fidei sententiam his verbis est complexus. Cùm enim de fidei certitudine docemus, non hoc intelligimus, de tali consciência tranquillitate, quæ nullis interturbetur ratiombus & dubitationibus, quæ sunt in carne, seu veteri Adamo: quæ ta-

men

mē in lucta & certamine, & citationibusq̄, fide in Christum, per verbū,  
quod est gladius Spiritus, super āda sunt. Et ita certa, inq̄: Calvinus,  
fiducia illa (audis Canonice?) decidere et desiscere fideles negamus.

Quid magis perspicuum contra vestram dubitationem dici po-  
terat? Sed cœcum te esse video, non solum in Scriptura S. sed etiam  
aliorum librorum lectione. Corradis quicquid potes, in male causa  
defensionem, vbi furor arma ministrat.

Huius non dissimile est, quod ex Bucero affert, qui nullo verbo,  
nulla syllaba, nulla litera, ne Iota quidem vnico fidei certitudinem  
negat: quin magis eam confirmat, nec dubitationem vestram scelera-  
tam probat, vel de ea disputat. Sed hoc tantum agit: negat in priua-  
ta absolutionis maiorem vim & euegetatem esse, quam cum publicè an-  
nunciatur Euangelium, de gratuita peccatorum remissione per &  
propter Christum. Sed hæc quid ad dubitationem? Regula enim est:  
Non potest aut debet latius extendi sententia, quam habent verba.  
Cum igitur dubitationem tuam, nec Scriptura S. nec aliorum aucto-  
ritate comprobare possis, sed maxime cum sacrosancta pugnet Scri-  
ptura: Ideo non admitteāda, sed ad inferni infima damnanda, & con-  
tra eam luctandum pijs, & vincenda fide in verbum Dei, à Deoq̄ po-  
tendum, vt adiuuet nostram infirmitatem, fidemq̄ augeat. Sicut  
Apostoli petierunt.

Postremo, quod in fine optas, Georgi, vt tuum hoc maledicum, vi-  
rulentum, & verè Diabolicum scriptum Illustrissimus meus Prin-  
ceps, Dux Vuirtembergicus legat: quod ego in meæ secunda dispu-  
tationis de Ecclesia, quam Blissemius egregiè refutauerit, præfati-  
one ad Syriæ Proceres, optauerim, vt serenissimus Austria Archi-  
dux Carolus eam legat.

Ad posterius hoc, prius respondeo: me vnā contra Blissemium Di-  
sputationem instituisse, ad quam ille postea proluxo respondit libro.  
Quem ego vicissim per Dei gratiam ita refutauit, vt nihil postea eius  
contra me viderim, audiuerim nihil, nisi quod bonus vir ille pudore  
confusus, aliò se proripuerit, vbi latitaret.

De-

Vol. 124.

" Vol. 125.

"

"

"

"

"



Deinde ad votum tuum quod attinet, minime dubito, Illustris-  
simum meum Principem, si per alias occupationes non impediatur,  
pro sua pietate & studio rerum sacrarum, facturum quod optas.  
Tu similiter cura, ut tuus etiam Illustrissimus Bavariae Dux, hoc  
quoque meum legat Responsum. Quod vos caueatis sedulo, ne quid  
nostrorum Scriptorum, vel ipse Princeps, vel alij ipsius subditi le-  
gant. Videbit enim & cognoscat ipsius Celsitudo ex hoc, et calumnia-  
torem esse maximum, & doctrinam vestram, erroneam esse, fal-  
sam, impiam, carentem fundamento, & Scripturae Sacrosanctae  
contrariam: vos impostores esse & seductores, falsarios Scripturae,  
qui novam Religionem, doctrinam & cultus impios ac idololatri-  
cos, veteri, & primitivae Ecclesiae incognitos, ab Antichristo Ro-  
mano inuectae, quae vos Patroni, quibuscumque inductis impietatis co-  
loribus, palliare conamini, ut bonos & pietatis studiosos Principes  
& magnates, in erroribus istis vestris impijs & Antichristianis,  
contra totius Ecclesiae primitivae consensum vere Catholicum (quod  
probatum est) contra Maiorum suorum instituta & decreta, re-  
tineatis, ut in perpetuum exitium vobiscum eos abducatis. Id ut  
eius Celsitudo cognoscat, ad oculum demonstrabo, quod supra obi-  
ter attigi.

I.

Idem hac occasione etiam. Nam cum supra, Gotthar de intro-  
duceres heroas Imperatores, Carelos, Fridericos, Henricos, & di-  
ceres: Si ad vitam redire illos contingeret, quibus quaeso verbis,  
Illustrissime Princeps, praesentes Patriae nostrae Principes allocu-  
turos existimas? Responsum ego: Quibus verbis? & predicaturi &  
gratulaturi sibi suisque posteris, praesentem felicitatem, Lucem verbi  
divini, liberationem Ecclesiae ex captivitate Babylonica, & tyran-  
nide Pontificum Rom. Horum enim quidam illi ipsi fuerunt, quo-  
rum colla suis pedibus Pontifices calcaverunt, &c. Id ne putares  
Ironice magis à me, quam serio, & rei veritate adductum me respō-  
disse, Age exemplo valde Illustri, & quidem domestico, circa sinem  
proposito, docebo.

Con-

Conscripta est *Historia Bauaria*, hominum memoria, ab *Auentino*, qui & ipse *Bauarus* fuit, excusa *Ingolstadij* (ne quid à nobis confictum calumniari possit, *Canonice*) in qua *Author*, duo, *Ludouici quarti Bauari*, Imperatoris edicta publica, contra *Romanum Antichristum* in *Comitijs*, siue *Concilio*, decreto publico Imperij & *Ecclesia* proposita, refert. Ex quibus quaedam, quia prolixiora sunt, excerpanda esse duxi. Quae utinam omnes *Principes*, & *Episcopi* alijq; studiosè & attentè legerent, indeq; *Antichristum* cognoscere discerent. Ita autem habent verba:

Publico totius Imperij *Romani*, non *Principum* solum, sed & *Auent. lib. 7.*  
*Episcoporum Germania*, & *Italia*, Decreto, *Romanum Pontificem Ioannem 22.* *Antichristum* esse declaratum est, & proclamatum: idq; ex *Consilio diuini*, *humaniq; Iuris* consultissimis, quosq; in *Italia*, *Germanijs*, *Gallijs*, praecipue *Bononiae*, atq; *Lutetia*, iure utroq; atq; *Sacris literis* peritos, consuluit *Imp. Ludouicus IIII.* Hi, inquit, omnes rescripserunt, *Acta & dogmata Ioannis XXII.* aduersus *Casarem*, *Christianae simplicitati*, & *diuinae Philosophiae* repugnare. Extant, inquit, huiusmodi *Consilia Theologorum* in *Bibliothecis*, in *membrana scripta*. Et plures enumerat, inter quos fuisse *Vilhelmus Occam*, *Dantes Florentinus*, *Marsilius Patavinus*, *Ioannes Gandauus*, &c.

Hæc autem in publicis Imperij *Romani*, *Ludouico IIII.* Imperatore, edictis habentur, quorū (quia prolixiora sunt illa, quàm ut integrè descripta, huc referantur) ex istis quaedam decerpimus, ut videant omnes, iam olim fuisse decantata & peruulgata, quæ delicata iam *Papistarum aures*, in tanta *veritatis diuinae luce*, blasphemias meras reputant. Verba sunt.

*Ioannes* ille, qui se *Papam 22.* nuncupat, qualis sit ouiculis *Christi*, nostro beneficio opera precium est agnoscere, ne pelle ouina decepta, à seuisimo lupo deuorentur. Nempe, sanguinem *Christianum* fitit: discordia, seditionum mala, ubiq; *Gentium* inter *Christianos*

T

serit,

Notate hoc per Deum  
unum Principes.

ferit, fratres in fratres armat. Nec licet per hunc **ANTICHRISTVM**, Christianis pacem à Deo datam, seruare, tanta est hominis, vel potius **SATANÆ** illius vecordia: publicè pro concione scelera sua, quasi benefacta predicat. Cum Christiani (inquit) principes inter se discordant, tum verè Rom. est Pontifex Max. domum regnat, domum dominatur, vbi omnibus discordia, seditione, mutuo odio debilitatis, formidulosa sit eius potestas, vniuersi eius nui obsequuntur, & vel seruatibus obseruant: seditio atq; discordia Germanorum, salus est Romani Pontificis. Proinde pro virili erendum est Pontifici Maximo, si saluus esse velit, vt ancum serpen-tem, hoc est, Alemanorum Imperium, conterat, in cineres atq; favillas redigat, &c. Et vt est dissociabile regnum, omnisq; potestas, impatiens consortis: iam egregij illi pastores, opibus & splendore à maioribus nostris audli, ferre parem nequeunt Casarem Italia, Romas Christum, terris extrudere: illi cælum quidem permittunt, inferos atq; terras sibi asseruere. Auiditate potentie, pecunie, ima summis miscet, omnia venalia, Deum & inferos habet, &c. Et tandem destinat tam impudenter mentiri, nisi forsitan omnes Germanos (vt Romanenses autumant) stultos, caudices, asinos, stipites, plumbeos existimet. Me (inquit Imperator) Hæreticorum (vt eius verbis vtar) fauorem, falsò vocat. Christianus sum: at ipse Hæresiarcha est, vt **ANTICHRISTVS** non sit, tamen eius antecursorem, atq; anteaambulonem esse necesse est. A quo ad propagandam templum Dei (cuius cura nobis cælitus à Deo Opt. Max. data est) ad vniuersum totius orbis Senatam Christianum prouocamus.

Et in altero Edicto: Homines sceleratissimi, cruentis manibus, immani auaritia, nocētissimi & iidem superbissimi, itidem luxu effœminati, atq; ambitione perditii, quibus fides, decus, pietas, postremo vitia, virtutes, honesta atq; inhonesta omnia questui sunt, arcem Reipub. Christianæ occupant, tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt. Caput factientis, Iacobus illo de Baburca, qui se Papam Ioan-

nem

nem 22. nominat, ingentem vim pecuniæ, quam vndique à Christiana plebe fraudulentè corrasit, aduersus sanctos Dei, Imperio Christiano deuotos pugnantibus, expendit. Regno humano inhiat. Sicut Pastor est personatus, ita mysticus est **ANTICHRISTVS**. Canis pellicula tectus, in gregem Christi lupina rabie grassatur. Monstrum biceps, mundanus & Spirituualis esse contendit. Sacrosanctum Romanum Imperium, cui Christum, comites eius obtemperarunt, & vectigales fuerunt, sacrificuli fastuosi beneficium esse pernegamus.

Alia illius Iacobi pestilentissimi pessima facinora reticeo, sacrificulos, qui canes muti latrare non audent, pœnarum metu, ne veritatem dicant, perterritat. Iacobum igitur antea à sacrarum literarum Aristisibus Hæresiarchen declaratum, ex consilij decreto, more Maiorum, Pontificatu submotum, atque à Christo repudiatum renunciamus. Habemus bonorum exempla, quibus nobis licere id facere, quod illi fecerunt, putamus, &c. Imperij **ANTICHRISTI** auctorem, iure nostro, consilio, sententia, consensu communi Principum, Pontificum, Germaniæ, Italiæ efflagitantibus sacerdotibus, populoq; Romano, exauguratum, abdicatum, hæreseos condemnatum declaramus, proscribimus, acta eiusdem rescindimus, vniuersi Christiani eundem in numero impiorum, atque sceleratorum habeant. Quisquis aduersus hæc fecerit hostis Reip. esto.

Hoc edictum ab Imperatore, item Sacerdoti Senatu, populoq; Romano signatum est, publicatumq; in celeberrimo Mystrarum Pontificum Max. minorum Aristicum conuentu. Datum & factum extra templum Augustissimum, Diuis Petro & Paulo legati Christi dedicatum. 18. die April. in vrbe Romana, cunctis sacrificis, vniuerso populo Rom. in regione pro concione publicè eius rei gratia coacto, Christianæ libertatis anno 1328. Inuitissimi Imperatoris Ludouici 4. Cesaris Augusti Principis optimi Regni 14. Imperij verò primo. Hactenus Auenticus.

*Vides Georgi, quid optimus fecerit Imp. Ludouicus 4. Bauarus, quantum laborauerit, donec Lupum istum ab ouili gregis Domini ci, Antichristum, Papam Romanum abegerit. Quid facturus, si lucem hanc verbi diuini admirandam vidisset, ex eoq̄ errores Pontificios cognouisset, sicut morum vitia enormia expertus est? Vtiq̄ hoc ipsum dicturus, quod tibi istorum nomine respondi, & maiori facturus conatu & successu, quod tum fecit.*

*Etsi autem euentus conatui huic sancto Imperatoris Optimi, non responderit per omnia, quia tempus ira diuina nondum erat finitum, quo Antichristus Romanus penitus reuelaretur: & fulmina excommunicationis Pontificiae, quo & Imperator hic est ab Antichristo percussus, toti orbi Christiano essent terribilia: tantam tamen cladem attulit Papatui, vt se amplius non potuerit penitus colligere. Secum enim & a suis partibus, sicut ex Auentino dictū est, Imperator, diuini, humaniq̄ iuris viros peritissimos habebat, qui tyrannidi Pontificiae se scriptis publicis, vt idem refert Auentinus, opposuerunt. Et Imperator ipse Romam ingressus, Pontificem, qui Imperium ad se pertinere gloriabatur, de gradu deiecit, alio in locum ipsius substituto Papa, regniq̄ & Imperij dignitatem retinuit.*

*Quod si verò pari diligentia in reliquos instituta fuisset Pappas inquisitio: fortè non multum ab isto Ioanne 22. degenerasse, fuissent deprehensi, sicut nec ipse à virtutibus, hoc est vitijs suorum Maiorum.*

*Cuius rei argumentum est euidentissimum, Iohannes eius nominis 23. qui potest annos 100. illi successit, contra quem, Concilio Constantiensi per Procuratores, vltra 50 articuli formati sunt oblari. Quibus non solum enormia, atrocita, horrenda, detestanda, & abominanda eius scelera & flagitia notoria, Simonia, incestus, sacrilegia &c. sed etiam impietas maxima, & in Ecclesia inaudita continentur. Vnde Diabolus incarnatus est dictus: Vitam aeternam, vt habet articuli, non esse, dogmatifauit, neq̄, aliam post hanc.*

*Quin*

Vide Concil. Constant. Sess. 11.

En hic habes Georgi, bonum Epicurum, Papam Rom. pro Luthero, quem hoc nomine mendaciter traducitis.

Quin imò dixit & pertinaciter credidit, animam hominis, cum corpore humano mori & extinguì ad instar animalium brutorum: dixitq; mortuum semel, esse etiam in nouissimo die minimè resurrecturum.

Contra quos sibi obiectos & exhibitos articulos, (pessimè sibi conscius) nullam prorsus, etiam admonitus, voluit parare defensionem.

Quid de alijs dicam? Qualis fuit Hildebrandus, Gregor 7. dictus, de quo Abbas Vrspersensis in suo Chronico, homine monstruosisimo scriptum reliquit: Constat, inquit, Hildebrandū, non à Deo electum, sed à seipso, fraude ac pecunia intrusum: qui Ecclesiasticum subuertit ordinem, Christiani Imperij turbauit regnum, pacifico Regi (Henrico 4.) intendit mortem, periuros defendit, lites fouit, discordias seminauit, scandala suscitauit, diuortia fecit (vt ipse potiretur vxore Marchionis Estensis superstitis Macheilda) & **QVICQID INTER PIE VIVENTES, RECTE STARE VIDEBATVR, CONCVSSIT.**

Pontifices Romanifaces seditionum, & bellorum.

Alexander 6. qui Hispanus fuit de Valentia, pactum cum Diabolo fecit, eiq; se iureiurando, obstrinxit, & mancipauit, hanc solam ob causam, vt ad Pontificatus dignitatem ab eo Vasallus eueberetur: quod & factum est. Et fideliter huic suo seruiuit domino. Inter alias cardinales virtutes, cum propria sua filia Lucretia, incestam consuetudinem habuit, quod Ionianus Pontanus, hoc descripsit Epitaphio:

Hoc iacet in tumulo, Lucretia nomine, sed re

Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Et quomodo Romanam rexit Ecclesiam, Ioannes Picus Mirandulanus non tacuit, his versibus.

Vendit Alexander cruces, Altaria, Christum.

Emerat ille prius, vendere iure potest.

De vicio in vitium, de flamma transit in ignem.

Roma sub Hispano deperit imperio.

Huic defuncto parentavit *Actius Sannazarius*, hoc *Epitaphio*:

Sæuiciæ, insidiæ, rabies, furor, ira, libido,  
Sanguinis & diri, spongia dira fitis.  
Sextus Alexander iaceo hic, iam libera gaude  
Roma, tibi quoniam mors mea, vita fuit.

Sed quid hæc de istis solum commemoro? cum, si quis vellet singula, de eiusmodi aliorum quoque Pontificum virtutibus *Papalibus* persequi, plurima volumina non sufficerent.

Verum has tibi, *Gotttharde*, veras tuorum Pontificum laudes, ex tuis, quos agnoscis, *Auctoribus*, ob oculos ponere breuiter volui, vt omisissis mendacijs, quæ vestri de *Luthero*, turpissimè mentientes, sparserunt, tuq; subinde in tuo libello odiosè repetis, hisce tuorum virtutibus te oblectes, & porrò *Luthero* maledicere cesses.

Antequam verò à te discedam, heus *Domine Canonice*, vnum est, quod adhuc tecum agam. Est autem hoc: Quæso te mi homo, liceat mihi bona tua venia, paulisper tuis verbis, & figura, quam ex *Rhetorum* schola mutuatus es, vii.

Quòd si nunc *Apostolos Domini*, *Lumina Ecclesiæ*, *Petrum* dico & *Paulum*, eorumq; vobisc; successores in primitiua Ecclesia, pios, sanctos, simplices, absq; omni pompa, officium *Episcopale* facientes, ad vitam redire contingeret, quibus quæso verbis, *Illustrissime Princeps*, *Dux Bauariæ*, *Domine clementissime*, *Pontifices* istos, modò quos recensuimus, aliosq; ipsorum complices, alloquuturos existimas? Quibus? dicam.

Vos ne *Christi Saluatoris nostri vicarij*? Vos ne capita *Ecclesiæ Catholice*? Vos nostri successores? Et vnde pompa hæc plus quàm regia, imò *Persica*? Quæ vestra impietas potius, quam pietas ista irreligiosa? Quod vos doctrinæ genus sonatis? doctrinæ nostræ à vobis sepulta est. *Præscripsi* ego, *Paulus* admirabundus, diceret.

diceret, in Epistola mea ad Romanos, modum & rationem peccatoribus, vitam consequendi aeternam, quae est per fidem in Christum propiciatorem & redemptorem unicum, absque operibus. Quae si in hominis iustificatione excludantur, quid quae so remanebit, nisi sola fides? Cur ergo hanc meam damnastis in vestra Synagoga, Tridenti, doctrinam? Nihil de veteri nostra simplicitate amplius reliquum. Quis hic apparatus Aharomicus in Panoplia vestra? Quae ceremonia in Liturgia tam multiplices? Ego, dicturus esset Petrus, Cenam Domini celebraturus, sola & unica Dominica oratione recitata, consecraui. Vnde igitur haec vestra, quae assuistis singuli pro arbitrio, & de vestro ingenio in Missa? quam sacrificium esse verè propiciatorium pro peccatis viuorum & mortuorum asserere non erubescitis: cum meum Dominum in cruce exclamasse audierim: consumatum est. Et vnica oblatione in aeternum consumauisse sanctificandos? Quae haec vestra impietas, quae blasphemia in passionem dilectissimi mei Domini Iesu Christi? Nihil nostrum in templis vestris videmus, aut audimus, sed noua facta sunt omnia. Vnde. n. Chrisma vestrum, oleum, aqua, sal, ignis, herba & frondes, cerei, aliaque innumera, magicis consecrationibus, seu incantationibus potius, in alios usus execratos magis, quam sacros, exorcisata, non secus ac simulis cacodamonum myriadibus essent bone illae Dei creaturae obfessae, qui characteribus & coniurationibus vestris eijciendi essent. Et vnde Agnus ille Dei cereus, de quo Ecclesiam seducentes, doceris: Peccatum frangit, vt Christi sanguis? Cum vnicus sit ille, qui tollit peccatum mundi, digito Baptistae monstratus. Quot altaria in omnibus angulis? quot vexilla, lampades, luminaria in meridie? Noua doctrina, abrogata vel corrupta & deprauata nostra, & Prophetarum, ac imprimis Saluatoris nostri Christi. Traditiones quas nostro nomine veditatis, Ecclesiaque Christi obrustis, à vobis confictas, non recognoscim? Cūque noluerim ego Paulus, discipulos meo, aut Petri appellari nomine: Vnde tot Monachorum & Monialium Monasteria?

Rom. 3.

1. Cor. 3.



in eis que tot examina, non apum, sed fucorum ignauorum, qui plerique omnes & singuli, à suis Authoribus nomina sunt sortiti, in tot sectas, dissecti? Et vnde, quæsumus vos, τὰ ἑθνη ἰδωλῶν illud olim Ethnicorum templum, in quo dii omnes, hoc est idola, ab ethnicis Idololatriæ Romanis, Maioribus vestris colebantur: iam tantum mutatis nominibus Idolorum, in honorem D. Mariæ, & omnium sanctorum consecratis? D. Mariam virginem, tanquam Deorum magnam matrem: me Petrum collegam meum, & reliquos Apostolos ac Martyres colitis, inuocatis, cum neq; ego, neque ille collega hic meus, de cuius vos successione gloriamini, id ferre in vita, dum miranda per Dei gratiam opera faceremus, voluerimus vnquam? Quod soli Deo omnipotenti hic debeat honor & cultus.

Vnde porrò Episcopi vestri, Presbyteri, Diaconi Pastores, quos coniugatos esse volui, sicut hic Collega meus maritus fuit, suam secum circumducens uxorem, in calibatu impurissimo, maximo cum Ecclesiæ offendiculo viuentes, eisq; à vobis interdictum coniugio, quam demoniorum, antequam à vobis excogitata & introducta esset in Ecclesiā, dixi doctrinam, seduloq; vt caueretis, monui?

Cœnam Domini, sicut accepi à Domino, Ecclesijs eradidi fideliter: Sed hanc iam à vobis sacrilegè musilatam video in Ecclesijs vestris, Romæ, & passim, vbicunq; vos Dominamini clero, contra Collega huius mei interdictum, iureiurando vobis eos obstrictos tenentes.

1. Petr. 5.

2. Theff. 2.

Non ergo vos, nostros successores, non Christi vicarios agnoscimus, sed aduersarios, hoc est, Antichristos, in templo Dei sedentes, omniaq; qua Dei sunt, euercentes.

Agite igitur in malam rem, vos impostores, Antichristi, Idololatræ, Tyranni, persecutores piorum crudelissimi, hostes Christi, eiusq; Ecclesiæ sanctissimi, omnes operarij iniquitatis, cum omnibus vestris, qui characterem bestię acceperunt, quos cæcos vobiscum

cum seduxistis in foueam ignis infernalis, qui Diabolis & vobis est paratus.

Hæc & horum similia, Heroes isti, Ecclesiæ antesignani, Apostoli, dicturi essent, certum est. Et vbi tu, Domine Canonice, sis mansurus, istorum Rom. tuorum Pontificum Patronus, tu videris. Caue tibi, & in tempore respiscas, nec alios etiam tecum in barathrum inferni præcipites.

Hæc à te prouocatus, respondenda esse ad tuum, magna verborum pompa adornatum, sed rerum bonarum, & verarum inopem (indiget enim mala & morbida causa, sapientibus medicamentis) Libellum iudicauit. Quæ memori mente teneto, ne tibi postea non prædicta esse, nimis serò conqueri possis. Deus tibi sanorem mentem largiatur.

Quod ad Collegam meum D. Iacobum Andreae attinet, quem Fol. 119.  
Cyclopem Tubingensem appellas, & duplicis turpitudinis in maledico scripto tuo reum agis, is tibi respondet: Sibi minimè nouum aut mirum videri, famam ipsius abs te lædi: cum vniuersæ Sueuicæ Nationi os tuum spurcum & maledicum non pepercerit. Suam autem innocentiam non modò publicis scriptis iam pridem, partim etiam ipso peregrè absente per collegas asseram, sed insuper tibi quoq; nunciat, quæ D. Lucas Osiander in nouissimo suo scripto contra Rosenbuschium, impietatis tuæ socium pag. 44. scripsit: videlicet à nullo bono & honesto viro hoc crimen sibi obiectum esse. Et ad sui nominis & honoris defensionem legibus concessam, te turpiter & flagitiosè mentiri affirmat.


SOLI DEO GLORIA.

1836960

ERRATA QUÆDAM SIC CORRIGE.

Prior num. paginam, poster. lin. notat.

A. 4. facie 2. ἐπιμύσει. 7. 5. transferens. 10. in marg. Psalm. Ead.  
7. à fine, ego. 25. 9. à fi. annuendum. 26. 4. à fine, Quibus ver-  
bis? 27. 2. dele interrogationis signum. 55. 11. sequuntur. 57.  
14. malum. 69. 7. Facessant. 78. 15. solennitates. 82. penult.  
demeritis. 86. 6. à fin. Ecclesiastis. 88. 7. à fine. quam. Ead. 4. à  
fin. post, imò, adde, ne. 93. 17. confessu. 97. 10. quinimò. 101. 4.  
à fin. ignorantes. Ib. 2. à fin. cœleste. 104. 11. Non in quibus non.  
105. 15. dele punctum. Ead. 10. à fi. adde, carnis prauam. Ib. 6. à  
fi. post, concupiscentiam, adde, carnis prauam. 112. 6. à fin. post,  
sed, adde, postea. 116. 15. à fi. aridam. 117. 10. à fi. pro aderit, ad-  
iecit. Ib. 9. à fin. post, Respondeo, lege: Nemo ergo saluabitur,  
qui vos audit doctores, & sequitur. Sed, &c. 121. 6. à fin. pro ea,  
lege, eadem. 127. 4. qua. Ead. 7. à fin. Pontificios. 132. 16. con-  
firmant.



863356992